PENTELOGIVM PERIPATETICVM,

F. Trebatii Mareocti de Penna Sancti Ioannis, in Almo Diui Antonii Patauini Gymnasio Baccalaurei. In Aliquot AVERROISTAS,

De Forma Nouissima, & Hominis Specifica Candidè, lucideq; pertractatum.

Ad Illustrissimum, ac Reuerendiss. D. D. IVLIVM FELTRIVM de Ruuere Episcopum Prænæstinū. S.R.E. Cardinalem de Vrbino Ampliss. Rauēnatis Ecclesiæ Archiepiscopum Vigilantissimū; Totiusq; Franciscæ Religionis Protectorem Clementissimum.



Patauij, Laurētius Pasq. Excudebat, 1577

Illustrissimo, atq; Reuerendissimo D.D.
IVLIO Feltrio de Ruuere Episco-
po Prænestino, S.R.E. Cardinali
De Vrbino Amplissimo, To-
tius Franciscæ Religionis
Protectori Vigilantiss.
& Rauennatis Ecclesiæ Archiepi-
scopo, & Administratori
Perpetuo.

Frater Trebatius Mareoctus de Penna Minorita. S. D.

NVllus est qui nesciat (Illustrissimæ Præsul) Humanam nostram Mentem Cælestis Naturæ esse; cùm Supera, & Cælos satius, quàm hæc Infera, & corruptibilia corpora æmuletur: Sed quonampa-

ĉto Cælorum erit Imitatrix? nisi quia assiduè speculetur, & nouo quodam fætu ex suarum meditationum Scriniis subtiliores edat contemplationes? ueluti continuo orbium motu (Motore extrinseco mouente) continuantur generationes, & sempiterni per Singulariam successionem seruantur partus. Sicut etiàm iugitèr uoluitur Cælum, & inintermissæ sunt eiudem circa Terrã reuolutiones; ità & ipsa alicui operi, præcipueq́ studio ueritatis tuendæ, pro uiribus incumbat, necesse est. Cælica est Mens mea: Assistens Motor es tu Card. Amplis. Quam si non moueris, stabit quidem; segnitèr iacebit Humi; ignauiæ se dabit, æquè ac Terrà in medio Axis fixa immobilis perpetuò manet; & uix una erit in ea naturalis motio: Cum autem applicatus ei fueris, & uigorem tuum maximum (cui neces=

sarius est)ostenderis; statim opera sua in lucem emiserit, & uno emisso, mox aliud ipsa parturiet. Ex robore itaq; tuo (Robur enim es, & robur tua natura omnibus, maximeq; studiosis praebes) debilis Intellectus meus (ne inerti marceret ocio) hunc priorem fructum (necessario autem, & non inani gloria ductus) tollit, & cunctis (te Duce, te Defensore) ad legendum prodit. Robori quoq; tuo firmissimo; Nomini tuo Illustriss. & tibi Patrono meo Celeberrimo remittit, consecrat, et dicat. Tu igitur Nostrae Seraphycae Religionis Amator, & Protector primarios labores meos hylari fronte (ut soles) non tanquàm tuae maximae dignitati respondens munus; sed uti seruitutis, & desiderii erga te mei Argumentum; accipe. Vale Vigilantiss. Protector, quem Diui Frãcisci Religioni, Uniuersaeq; Christianae

Reip. Incolumem, & fælicissimum diù seruet Deus: Meq; pro tua singulari benignitate inter minores seruos tuos conscribe; & in numero Clientuum esse, & semper manere permitte. Vale iterùm Christianorum splendor. Patauij Quinto Nonas Decembris, Anno salutis M D LXXVII.

LEONARDI VNTII
Transyluani.

EPIGRAMMA.

GEns intellectus compos te docte Trebati
Laudibus æternis astra ferire iubet:
Formã hominis solam quod, dùm sublimia quæris
Intellectiuam scripseris esse animam.
Cùr sit homo, res est hominem nescire profana.
Et plenum stolidæ rusticitatis opus;
Per quæ, nescit enim uitam moresq; gubernat,
Quidue intellectus possit, & ingenium.
Differit, opponit, ueterùm monumenta reuoluit,
In dubium uerbis cùm dubijsq; cadit:
Nec quo se obscurus sensus caligine uertat
Inuenit ignoti dùm maris æquor arat.
Veri indagator caußam Trebatius adfert,
Plurima nosq; sua sedulitate docet:
Cùr sit, & intellectus facundo dißerit ore
Forma hominis, mira & pspicuitate probat.
Hùc propera Sophiæ qui gestis carpere flores.
Queis dare nil maius Pallas & ipsa potest:
Inuenies hortum quo sanctus gaudet Apollo,
Pieridesq; fouet floris amœnus odor.

Reuerendo, atq; Doctissimo Baccalaeuro Patri Fratri Trebatio Mareocto à Penna ordinis Minorum Conuentualium.

Fr. Dionysius à Ragusio ordinis Minorum obseruantium, & in D. Francisci à Vinea Venetiarum Conuentu, Lector sacræ Theologiæ Generalis; salutẽ perpetuam precatur.

EGo omni efficio, ac potius quadam animi mei hilaritate, te prosequi optabam; ut desideriorum meorum arculum complerem; quorum numerus extabat ingens; præsertim cum tantam beneuolentiam, tantamq; humanitatem tuam (his dieb.

transactis, cum essem Patauii) erga me, sincero, totoq; cordis tui affectu (nullis meis in te collatis beneficiis) ostendisti, atque egisti; ut hoc apud me non erit exigui beneficii, neq; (ut aiunt) uulgaris gratiæ, locum habebit. Iccirco in præsentiarum uelim ita persuadeas, te mihi nihil charius fore; & ut scias quò me trahunt uota se offert maximus labor, maximumq; studium tuum; quem diebus præteritis agnoui, te sustinuisse, nec incassum. Quandoquidem Didascalo tuo Ioanni Scoto concors extiteris, ut ex peripateticæ subtilissima, atq; catholica tua, quæstionis de Hominis Forma Specifica, nempè Anima intellectiua solutione, pcipere potui; quam paucis antediebus, ut tuæ morem gerere uoluntati, legi; in qua uidi; clarè perspexi; & consideraui mirabilem peripateticæ; scoticæ; atq; catholicæ ueri-

tatis doctrinam; mirabilemq́ animi tui uirtutem, potius è cælo allatam; quàm humano ingenio acquisitam: & licet prius sermone ferè omnium intellexeram, te his uirtutibus decorari, & splendore; tamen his aspectis, non est sicut dicebatur, quinimò, & decies centena (iux. illud Danielis) millia tibi assistunt, quàm audieram. Quarè quem quidem prius dilexerã, nunc uerò amo; ita enim affectus sum tui, quòd nisi tibi obtemperauero, quiescere non possum. Vale igitur Trebati mi charissime Bachalaeurorum, Professorumq́ Scoticæ doctrinæ ornamẽtum. Ex Aedibus nostris D. Francisci à Vinea Venetiarum, Anno à Deiparæ Partu, Quingentesimo septuagesimo septimo supra Millesimum. Pridie Cal. Decembris.

ELENCHVS RERVM, ET
Verborum memorabilium Quæ hoc opere continentur.

Cor-

Forma

H

FINIS ELENCHI.

Potiora Errata sic corrigito

Pag.fac.lin. erratum,correptio.
3. 2. 1. separatas,lege,separatus.
6. 2. 27. natuta. leg. natura.
7. 2. 14. matrire.leg. matrice.
8. 2. 26. intelligandū.leg.intelligendū.
9. 1. 21. substantia.leg. substantiam.
9. 2. 26. forma leg. formam.
10.2.13. insuper cum. leg . & super eum
11.2.20. samet ipsum.leg . semet ipsam
11.2.23. coniungit.leg.coniungi.
19.2.7. matrices. leg.motrices.
20.1.13. totam.leg.totum.
22.2.1.unitatum. leg.unitatem .
24.1.3. deo.leg.duo.
24.1 .8. rursis.leg rursus.
24.1.22. imones.leg. immanens.
32.2.13. actus.leg. actum.
33.1.5. doctat.leg.obstat.
33.1.5. quando; leg. quoniam.
33. 1. 18. apporat.leg. apparet
34.1.15.cæteris. leg.à cæteris.
34.2.12. constitutiua.leg.constitutiuum
40. 2. 13. sensit.leg. sentit.

43.1.22. quorum. leg. quarum.
48.2.22. pars. leg. par.
51.2.14. multos. leg. multas.
54.1.25. eodem. leg. eadem.
62.2.26. dementiones. leg. dimensiones
63.1.21. mottus. leg. motus.
63.2.24. con[illegible]uita. leg. constitut[illegible].

QVid mirandum? si ferè præter omniũ Aristotelis Interpretum sententiam, formam Hominis ultimam; & specificam Animam Rationalem esse dixerim? Nemini profectò est phylosophandi clausus locus: Nonnè & Aristoteles, Intellectum esse rationem illam; qua Homo à cæteris speciebus distinguitur, pluribus in locis affirmat? Non itaq; Intellectus, & Rationalis Anima, est Assistens forma; & Homini in esse posito aduenit ad operationes tantùm, ut Ceteri uolunt; sed potius est informãs, & dans esse ei. Cæterùm, non quidem ad iactantiam, ꝙ ipse Primus extiterim; fateor equidèm complures Viros & eruditione, & sanctitate cõspicuos, hac in re scripsisse; sed ut cuiusdã Acutissimi, & Perspicacissimi Phylosophi, & Medici interogationi satisfacerem, & Argumentationibus eius responderem, Hoc de Forma specifica Hominis edidi Pentelogium. Et nè confusioni potiùs, ꝙ̃ determinationi legentium intellectum dederim, huic ordinato cursui (proùt potero) studebo, in quinq; scilicet Sectiones Dispu

tationem iſtam, ſeù Pentelogium, ſecans.

Primo, quomodo in corpore introducatur Anima, appropinquet, adſit, & corporeo moli inſit.

Dubium proponam in ſecunda, & dubitationis ſenſum aperiam.

In Tertia quid Alii ſentiant fidelisſimè afferam; & reiiciam.

Deindè Opinionem propriam cum Peripateticis fundamentis adducam.

Poſtremò Nouem acutisſimas Rationes nouitèr contra determinationem adductas, perſoluam.

PENTELOGII,

F. TREBATII MAREOCTI, de Penna, de Forma ſpecifica Hominis,

Ad Illuſtriſsimum & Reuerendisſimum Cardinalem de Vrbino.

SECTIO PRIMA.

Quomodo introducatur Anima in corpore, ſe appropinquet, adſit, & inſit corpori.

DE forma humanæ Naturæ ultima diſputationem aggreſſurus, illud ĩ primis aduertendum duco, q̃ in Hominis generatione (ut omnes rectè Philoſophantes concedunt) complures præexiſtunt in materia formæ. Cum autem entium formæ non eandem retineant perfectionem, ſed altera altera perfectior; nõ æquè à Materia prima diſtare debent; ſicuti nec ab actu illo puriſſimo (fons, & omnis perfectionis origo) differre uidentur; ſed illæ formæ, quæ imperfectiores apparent, ſunt materiæ primæ proxi

miores;quæ uerò perfectiores, longè ab eadem. Vndè cum Elementorum formæ aliis imperfectiores sint,materiæ primæ sunt proximiores,& purissimæ potentiæ cohærent: Anima uerò Vegetatiua,quia perfecta est, non in nuda materiæ potẽtia recipi debet; sed in ea elementorum Formæ supponi: Sẽsitiua,quæ perfectior extat; adhuc est à materia remotior,& elementales &. Vegetales in ea requirit formas: Intellectiua autèm omnium formarum perfectissima,à materia remotissima censetur; ac proindè in eadem elementorum formas; Vegetalem, sentientemq; Animam expostulat;una tamen alteram uirtualiter continens,uti forma perfecta imperfectiores, quemadmodùm Quadrangulus, Triangulum comprehendit: Nã Anima rationalis ueluti uim intelligendi (omnium aliarum formarum præstantissimam) habet; sic & sentiendi, & nutriendi, atq; regendi; ità ut in Intellectiua; Anima Sensitiua, Vegetatiua, Mixtorumq; formæ uita carentium reali idemptitate clauduntur: Materiæ igitur his omnibus præditæ formis accedit Anima.

Per uirtutem; quæ Mixtorum inanimatorum gerit uicem; materiæ informi adhæret Anima,&in ea quatuor elementorum uirtu

tes unit,uirtutesq; ipsas contemperans: Per uirtutem;quæ Vegetabilium uim continet; sese corpori ex materia, & Elementorũ forma composito applicat; ipsiq; motum localem,(qui uita pronunc nuncupatur) tribuens:Per uirtutem; quæ sensibilium exercet officium,uegetali corpori seipsam adiũgit; sensibilem spiritum accommodans: Per uirtutem uerò propriam,ut potè rationalem: cæteris formis & dominatur, & imperat, & Homini esse rationale,& specificũ largitur. Quarè Anima per postremam uim,Materiæ Forma,appellatur;per aliam,Forma corporis mixti Animati; per nobiliorem Forma corporis mixti Animati Sensitiui, hoc est Animalis;per nobilissimã uerò, Forma Hominis nuncupatur.Ex quo fit; ut Anima Rationalis sit magis Forma Hominis, q̃ aliæ; plures enim uirtutes informat: Vndè quantò Forma est præstantior,atq; nobilior, tantò materiam requirit actuatam. Nec illud, quod habet Aristoteles.5.phys.contex.8. & 1.de Gen.ii.aduersetur; ꝙ .s. subiectum generationis potentia est:Quoniam hæc propositio,non de qualibet substantiali generatione est intelligenda; sed de illa solummodo Elementorum, quæ in materia nuda recipiuntur;ni dicere uelimus,ꝙ subiectum

generationis est semper in potentia; donec secundum gradum præfinitæ,& determinatæ speciei actuetur.Cùm igiturHominis materia per ultimam formam (quæ intellectus est)ab extrinseco aduenietem sit in actu posita, tunc per ipsam determinatũ uitæ gradum,atq; completæ speciei cõcludit: Et meritò quidem . Nam quemadmodum Homo Finis omnium rerũ(testimonio Arist.2.lib. phys.24)dicitur;ità nobilissimam, præstantissimamq; partem sibi dantem esse includat,necesse est.

Poterit nè huiusmodi pars,eam esse Animã; quæ Vegetalis appellatur?Nõ quidem; quia tunc eo nobilior esset Bestia . Nunquid erit Sensitiua?Minimè:non enim sensu ratiocinari potest.Forsan Imaginatiua, seù Cogitatiua?quæ (ut Auerroistæ sentiunt)est potior pars Animæ sentiẽtis?Nequaquàm; quia postrema Hominis perfectio esset in actu sentiendi; Quod & Aristoteli Ethicorum x. & Magistro eorum Auerroi Prologo primi, & octaui phys.aduersatur; ponentibus Hominis fœlicitatem in substantiarum Abstractarum,& Diuinarum Mentium speculatione; quam quidem Cogitatiua uirtus attingere minimè poterit.

Quæ igitur pars ista erit?Intellectus utiq;

à materia separatas, Humano corpori unibilis, non modò ut Nauta Naui; sed uti figura sigillo aureo in cera impressa; & Forma (ut scribit Auerroes secũdo de Anima com. 9.) in Materia. Qua quidem, & non Cogitatrici uirtute; Homo esse suum ultimum, determinatum, perfectum, atq; specificum possidet: Non enim Natura superfluis abundat; ità nobis una inest Anima, Formaq; præcipua; uti & in corporibus aliis.

Nec sit modò superuacaneum Platonicorum opinionem de hoc intellectu humano afferre: Nam asserunt Platonis Sectatores (referente Marsilio Ficino) his gradibus à superioribus ad inferiora esse descendendum: Deum scilicet O. M. habere esse suum a se, in se, & pro se: (à se) quia à Nullo, (in se) quia purissimus suæ Naturæ actus, (pro se) quia p informationem nemini dat esse. Angelum habere esse, non à se, quoniam à Deo dependet; sed in se, quoniam actus purus; & pro se, quoniam non informat: Animam uerò, quæ est Forma corporis, habere esse non à se, qa & ipsa à Deo; non pro se, quia informat, & dat esse; sed solùm in se quia est actus eius. Hinc, Intellectus, & Mens Humana pro corpore esse posidet, suum tamèn esse haud deperdens; Veluti (secundum Platonicos) Ani

ma Solis in se lucet, solemq; illuminat; & cum hoc proprium lumen non deperdit: Etiam secundum Physicos; Ignis est in se calidus, & caliditatem introducit in Aqua; minimè eam ammittendo.

Hunc eundem ordinem scribit Porphyrius ex mente Magistri sui Platonis in Comentario Thimæi; Vniuersum in tres gradus distinguens: Aliqua solùm habere esse: Aliqua solùm fieri: Alia uerò fieri & esse simul. Esse dicit omnium Mentium, & Intellectuum latitudinem: Fieri dicit omnium sensibilium ordinem: Fieri uerò, & esse omniũ Animarum genus; adeò ut minimè ordinẽ uniuersi continuari posse; nisi sint Formæ intellectuales simul, & corporum uiuicæ: Hoc ordine carere Natura non debet; careret autem, ni Forma quædam incorporea, corpori esse tribuens, reperiretur.

Quid mirum? si rationem Pythagoricã deduxerim? Cubat Deus Pater Materiæ primæ Matri, ut Formas tanq̃ proles generet: In Patre est omnium Formarum fæcunditas; & in Matre earum extat receptio: Nascuntur Filii similes Matri; qui dicuntur Formæ materiales, quæ uirtute Patris informant substantialiter compositum: Nascantur etiã Alii filii similes Patri; ut sunt Formæ separa

tæ, &c. immateriales, & introeant compositũ; Nunquid non dederint esse sicut, & Proles Matris? ideò subitò quidam Filii Patris ueniunt ad actum essendi Hominis.

Verùm accedit, quomodo Intellectus, & Mẽs ipsa separata corpori se appropinquet? & ipsi esse suum impertiat? Fit nè hoc permixtionem? Non quidem: nam id, quòd miscetur perit, & cõfunditur. An p cõtactum? Minimè; contactus.n. solius est corporis; cũ molis quantitatẽ exquirat; ni noĩe fuso contactus uirtutis; quo indiuisibile diuisibile tãgit, accipiatur. Claudit forsan ĩ eo? Nec hoc. Quod enim loco clauditur, sub corporalibus dimensionibus existit.

Quid igitur agit Intellectus in Humano corpore, dum ipsi esse suum communicat? Hoc quidem; ipsum hincinde sua natura penetrat, (ut scriptum reliquit Phylos. 2. de Anima contex. 9. Est tota in toto, & tota in qualibet parte corporis) uirtutem essentiæ suæ illi tribuens (sine tamen eius extensione) uirtutemq; largiendo, operationes communicat; ita ùt ex Animæ corporisq; coniunctione, unum fit Animalis esse, & operatio una. Nec mirandum est; si forma non extensa corporis molem impleat: Si etenim extensibilem formam ita ad corpus sese habe

re, quis considerabit, ut tota in toto corpore, & quælibet eius pars ad quamlibet corporis partem uicissim se habeat: Quis excogitare non poterit; ita à pari huius inextensibilis formæ partem, quamlibet corporis portionem informare? & se ipsam totam cuilibet corporali puncto esse? Nèc est deridenda, hæc subtilis consideratio: Namq; informare nobilius, & præstantius est; q̃ extendi; hoc quidem accidens, illud autem substantia. Quamobrèm, si materia extenditur & minimè informat, nèc dat esse. Quare non erit aliqua Materiæ forma, quæ informet, & non extendatur? Hæc intellectus erit.

Quapropter in se subsistés corporeo molli aderit, non ut Intelligentia Orbi, sed ut Forma (licet separabilis) Materiæ.

Cæterùm si Mens ista separabilis unitur corpori; non erit inutile quærere; quonam horum modorum quos Arist. in lib. de Generatione, & corruptione docet? An contactu? An mixtione? uel aliorum aliquo?

Non contactu; quia contactus (ut inquit Arist. in 5. phys. tex. 30; & Comentator in Com.) si illæ erit Mathematicus per lineam, superficiem, & corpus; si uerò Naturalis; erit duorum solidorum corporum, quæ inuicem solo tactu iunguntur; & simul omni-

no non ſunt, neq; ſimùl omninò operant. Atqui Anima, & corpus ſimùl ſunt;& agunt; erit igitur abſurdum, Animam Corpoream molem non habentem, crasſis, ſolidiſq; corporibus comparari. Hæc etenim ſi percutiantur franguntur ; ſi diuidantur mox remanēt dıſſipata: Illà uerò, quæ nihil corporeæ proprietatis in ſe retinet; ſi uideatur à ſolidioribus percuti, ictum, & percusſionem uitat; ſi penetrari, ſubtilisſimè penetrat; ſi diuidi, adeo in ſeſe, & unitatem ſuā reuertitur; ut nullam pati ualeat diuiſionē; Non igitur Anima, ut ſolidum ſolido, & corpus iungitur corpori.

Nèc cōmixtione; uti nos dicimus humorem Aqueum commiſceri Vino, uel (ut dicunt) Vinum lymphatum; quoniam hæc duo corpora mollia, dum miſcentur unà, priorem relinquunt uirtutem; & illud, quod antea habebant, deperdunt eſſe. Sed Anima cum immixta, & immaterialis exiſtat (ut legitur 3. de Animo 3.) non habet, unde cum corporis qualitate miſceatur; operationem tamèn non deponit, imò in eo exercet; nec ſuum eſſe deperdit: Non ergò mixtione Humano corpori unitur Anima: ſed tanquam ſpirituale quoddam corporalis

Nunquid ſicut calor ignis Aquæ? (Calor enim cum non ſit corporeus, aliqualem cum Anima retinet ſimilitudinem:) Hoc mihi non probatur; tùm quia calor accidentaliter aduenit Aquæ; tùm quia non totus calor totam ſtatim calefacit Aquam; ſed pars parti inhæret,& unitur.

An ſicut uox Aeri? Namq; uox ſpiritalis eſt,tota in qualibet Aeris parte; mouet auditum; & aliquid nunciat intellectui; ſic & Anima tota eſt in qualibet parte corporis;mouet id ipsũ,&intelligit.Nec&hoc eſt rectè aſsertum:Namq; fragilis eſt uox; paſſioni ſubiecta; frangit aerem; & leui flante Aura corrumpitur: Anima uerò non ſic;firma quidèm;impaſsibilis;& incorruptibilis.

Nùm fortè uniatur corpori unum quoddam illius corporis punctum tangendo? Nequaq̃:quia uniretur puncto,& non corpori: Nec paritèr totum illud corpus uiuificaret; ſed punctui uitam præſtaret;uita tamen toto carente corpore.

Ineſt autem Anima corpori ut per ſimilitudinē.(Quemadmodùm Platonicis placet) lumen ſolis in Aere; illud equidem unum eſt; indiuiſibile; totum in qualibet Aeris parte exiſtit; ipſum illuminat,&calefacit;nihil ab Aere ſumit; neq; uim aliquam pati-

tur; nec ullis inficitur sordibus: Præterea non est Aer ex se lucidus, sed lumen recipit à Sole; imò sine ipso mortuus est Aer, frigidus, & obscurus. Ita Anima inest in toto tota, & in quauis parte tota, corpus sine lesione replet, uti Lumen Aerem; patiente corpore non patitur; (licèt passione perfectibili sentiat, passiones iudicet, atq; intelligat) uiuente corpore uitam elargitur; & ipso labente non fluit; sed adhuc remanet intacta.

Vnde ex his duas colligo Animæ rationalis uires; Iudiciariam Vnam; & Vitalem Alteram. Iudicium haud tradit corpori, sed ipsa seipsa peragit; Vitam uerò maximè; Quarè iudicat sola Anima; uiuit autem Corpus & Anima: Animæ enim esse uiuere est; per quod formalitèr uiuit Corpus; igitur Animantis esse aliud nihil est, q uiuere: Itaq; Anima corpori adueniens esse Animato præstat.

Hoc itidèm alio illustro exemplo, Anima unitur corpori, quemadmodum (ut simiiius est) Color uisui: Imago coloris spiritualis est; quæ in Aere suas diffundens species uenit ad oculum; currit statim, & momẽtò; tota quamlibet oculi partem attingit; Aer cedit; à ueti impetu nõ dispergitur; pu

git Aerem ,& format oculum: A simili; Intellectus,quia est spiritualior,habita dispositione,&corporis organizatione,ad ipsum illicò currit; quod ei locum præbet;& uim nullam ab eodem sustinet; sed sine sui extensione idem implet; totus in toto, & in qualibet eius parte totus existit;atq; ipsum esse uerum, & uitam tribuendo, informat. Cum enim Formarum proprium sit perficere compositum; ultimum esse eidem tribuere;sibi materiam deuincire; & materiæ partes mutuò copulare;ideò quò præstantior, & nobilior est Forma;eò materiæ dominatur,& perfectius cōpositum formare ualet. Hoc autem formæ infimæ &materiales operantur:si enim hæ, quæ exiguo uase à fonte perfectionis paruam hauriant perfectionē, hoc agunt:Quid obstat; si sublimes, & spirituales Formæ,quæ maximam in se includunt perfectionem;idipsum peragant? Nihil quidē;modo suæ naturæ non repugnet. Nec obstet; si intelligentiæ, hæc sublunariū corpora uiuificare non possint; id enim ex eo ortum habet, ꝙ nullam prorsus ad Animalis speciem complendam,habeat inclinationem. Animæ uerò Rationales, quia suaptè natura ad corpora hæc inclinantur; id agere ualent,& æquè ac Formæ materiales

(imò & maximè)agunt. Quapropter, Forma Intellectiua,& Mens Humana; quæ Homini post Vegetalem, & Sentientem Animam aduenit;eidem,non ut speciei determinatæ,& completæ (ut probant Auerroistæ) accedit, quia tunc Altera illarum esset superflua,uel inanis;sed ut Forma specifica, & Informans, quæ (ut perbellè notat subtilissimus Doctor,& omnium Theologorum perspicacissimus Scotus) nō modo dat esse;sed facit unum esse; dat operationem, & motum. Anima igitur Intellectiua, ni fuerit ratio essendi,minimè erit in Homine necessaria;Vndè inest ipsi ut sua propria Forma; & est in causa,quòd Humana species à ceteris differat speciebus.

De prima sectione hucusq;.

PENTELOGII,

F. TREBATII MAREOCTI, de Penna, de Forma ſpecifica Hominis,

Ad Illuſtriſsimum & Reuerendisſimum Cardinalem de Vrbino.

SECTIO SECVNDA.

In hac ſectione proponitur Dubium & Dubitationis ſenſum aperitur.

PRæcipuus Comentator Auerroes, in Hominis generatione hunc ordinem pluribus in locis affirmat; ꝙ in ſemine in mulieris matrire diſpoſito, Vegetatiua uirtus accedit; Mox illi corpori uim Plãtarum gerens, ſenſibilis Anima hæret: Ex qua, & corpore Hominem conſtare, & ſecũdum eſſe uerum, & ultimum nominari; non autem ex Anima Intellectiua, autumat. Animam uerò hanc ſentientem ſecundum ſupremam ſui portionem; quam ipſæ Cogitatricem uirtutem nominat, & Græci Phan-

tasiam;omnium aliarum formarum (quæ à Belluis specie differt) perfectissimam esse animo cōcipit;& tot Animas esse has,quot Hominum corpora;& oriri,& occidere ; & generari,simul atq; cum corporibus corrũpi asseuerat.Hanc insuper Cogitatiuam uirtutem,illam uult habere uim,ut naturali ĩstinctu minimè feratur; sed omnia ratione perquirat,seu consilio quodam:Quod Naturæ necessarium est deliberat,& eligit:Nihil Vniuersalium sentit,sed solùm per Singularia discurrit;adminiculo autem Intellectus Vniuersalia iudicat:& hinc uirtutem hanc, rationem particularem; Intellectum uerò, uniuersalem appellat. Animis pariter Bestiarum uim aliquam in inferiori Animæ sentientis parte locatam adiungit;quæ Extimatrix ab ipso nuncupatur;per quam naturali quodam instinctu , quod sibi bonum uel malum est,Animalia considerant; & q̃ prosequenda fugiendaue,& sequantur,& fugiant. Vltimò uerò Homini in esse iam specifico,per uim illam Cogitatricem,& nobiliorem Animæ Sentientis partem constituto;accedit Intellectus,seu Mens illa separata;quæ nobiliorem,ac præstantiorem (secundum tamen aliqualem Vitæ gradum.Humanarum uidelicèt operationum inuentũ Hō

minem, minimè in esse specifico, & complo to positum) Hominem reddit.

Cæterùm, non est hac in parte Animæ Potentiarum derelinquẽdus ordo. Namq; Ratio illa Particularis, siuè Cogitatrix virtus ĩ media cerebri particula ĩter Imaginatiuã .f.& Memoriam collocatur. Siquidẽ opinatẽ ipse in priori Cerebri parte reperiri Sensũ Cõem; q. sẽsationes, & quinq; Sẽsuũ exteriorum colligit operationes, Secundo loco reperitur Imaginatiua in qua imagines illæ, quæ in comuni sensu collectæ fuerant, conseruantur, In tertia parte locatur Cogitatiua; quæ earum Imaginum, quas seruabat Imaginatio, iudex existit. in quarto & postremo loco est Memoria, q̃ omnium Iudiciorũ, quæ Cogitatiua protulit; custodis fungitur officio, Cogitatrix igitur inter Imaginatiuã, & Memoratiuam mediat; & tanquam omnium aliarum Regina, quæ inter alias proxima est Intellectui; residet. Ratio uerò uniuersalis, adeò ubiq; cogitatiuæ assistit, ut suam intelligentiam per suum adminiculum exerceat; dum simulacra, & rerũ Phantasmata in Cogitatrici uirtute relucentia; Mentem, & Intellectum ad intelligandum mouent. Itaq;, iuxtà Auerrois doctrinam, hæc sola est intellectus unio; non quia intelle-

tellectus sit essentialis pars & forma dans esse Hominis, intellectus enim& secundum esse,& secundum essendi modum ab Homine separatur; sed ut præsens sit, & Cogitatiuę uirtuti assistat,Homo namq; ex corpore, &Cogitatiua ui componitur, & in esse formali,atq; specifico constituitur. Assistit autem ad hoc (inquit ipse) ut Homo ex particulari cogitatione ad Vniuersalem speciē deueniat; occasionem enim ad speculandū præbet, ueluti color ipsi oculo ad uidendū; & scriptura hæc Auerroico Amico ad scribendum. Non itaq; ex Homine hoc, & intellectu conficitur unum esse, & species una; sed operatio equidem una,& intellectio una.

Affirmant insuper Auerroistæ (3. libro de Anima comentario 5.) duas esse,non so lummodo uires, sed substantias; ex quibus intellectus componatur:Vim agentem substantia Vnam,&uim Capacem,substantiam Alteram; illlam profectò suaptè natura lucidam,claram,& formatricem;istam autèm nubilosam,obscuram,& formabilem:ex his æterna copula substantialiter Animā copulatam esse; equè ac ex materia, & forma fit in natura secundum esse Compositum. Putant prætereà, Intellectum Agentem per

se seipsum intelligere semper, cum sit actus per se existens; ità ut sese respiciens, ac essentiam suam, seipsum uideat; & per se etiam Mentes intelligere separatas, Hoc est, (ut Arist. ait. 3. de Anima textu 15, 16, & 8. Intellectus per sui reflixionem cognoscit. Censent insuper, cum Intellectus capax sit semper intellectus Agentis Naturæ unitus; ꝙ intellectusmet perpetuò Agentem uim intelligat, & per ipsam superiores Mentes. Existimant quoq;, hisce substantialibus partibus compositum intellectum, Humano corpori per Phantasmata in actu uniri; nam nihil intellectus in Homine intelligit, nisi phantasmate præsente; nō enim Equum intelligere ualeret Homo, si Phantasia Equum representante specie careret. Ex dictis itaq; concluditur Auerrois opinio, ꝙ. Homò per corpus, & Cogitatricem Animam in esse ultimo cōstituit. Intellectiua autem pars, quæ deforis uenit, tantùm secundum operari, & ut intellectionibus assistat, sibi unitur.

Verùm quoniam, in superiori sectione, hominis generationem annuentes, diximus in semine tanquam in materia prima elementorum forma primò introduci; Mox, per Vegetalem uim, formam Plantæ; statim per sentientem Animam, formam Anima-

lis; postremò per intellectum undequaq; corpus uiuificantem, Hominem in esse perfe cto & specifico constitui;& Homo per Mentem in esse poni, æquè ac Mixta per elemen ta;per Vegetalem uim, stirpes;&per sensum, Animalia. Hinc maxima inter Præcipuos Peripateticos,& Auerroistas, de forma Hominis specifica oritur lis, atq; dubitatio.

An.s. Hæc Intellectiua uirtus, quæ Homini sub sensibili Anima detecto aduenit; sit forma informãs,& dans esse; uel potiùs Assistens? hoc est quærere. An Homo per intellectum constituatur in esse, uel tantùm in operari?

Vt huius Disputationis sensus apprimè appareat. Quisnam sit istæ adueniens Intellectus; quid informare; Quid uè assistere sonet; est indagantèr perscrutandum.

Diuinus illæ Plato (ut in subtilissima Thæologia refert Ficinus) Vniuersum hoc totum, ordine isto præclarissimo mirabiliter distributum esse censuit. Postremo loco (per ascensum) corpus materiale reperiri; statim ad corporis qualitatem: hinc ad Animam: Ab hac ad Angelum; ultimò ad Deũ Optimũ cursũ fieri. Corpus ad oẽm speciẽ ẽ commune; sua natura in infinitum diuisibile: nullam prorsus operationem retinendo,

Qualitas ad ſpeciem corpus ipſum detreminat; quæ & ſi indiuiſibilis per ſe exiſtat, tamen in materiali corpore diuiſionem ſequitur. Anima, corpus in eſſe ultimo ſpeciei reponit, Angelus; qui ſecundum Platonicos immobilis multitudo dicitur; qui omnia poteſt; omnia ſimul inlelligit; omnia ſimul uult; & quantum eſt in ſe omnia quæ agit, ſubitò agit; eſt ſpecierum receptaculum. Deus autem, qui ſuper omnes eſt, eſt unitas immobilis; Veritas peſpicacisſima; & bonitas immenſa; fons quidem Mētis; rerum omnium cauſa; inſuper cum nil aliud reperiri poteſt. Corpora ex elementis, & qualitatib. conſtituta, prorſus diſſolubilia exiſtunt; quoniam multitudo, & motus unitatem uariāt, atq; ſtatum. Angelus, & Anima ſecundū eorum naturam indiſſolubiliter uiuunt; nam bonitas, & ſtatus multitudinem uincunt, & motum. Deus uerò optimus, Maximus, maximè indiſſolubilis eſt, & perpetuò idem permanet; maximè enim unus, & maximè ſtabilis.

Relictis modo terminis, & extremis, tùm diſſolubilium, tùm indiſſolubilium; Mediū (quod Anima eſt) ſequamur. Anima iſta Natura Media, ſub Angelica Natura collocata; quæ per ſe indiſſolubilis extat; cuilibet

corpori tribuit esse; & singula singulo, ut Forma informans accommodatur: Namq; (testantur Platonici) omne id, quod motui subiacet, certè principio intrinseco motus haud carere debet; Huiusmodi principium est Anima (præcipuè ad ipsorum aures de sphæris loquendo) quia motus tantò naturalior est, atq; uelocior; quantò Mobile est motori coniunctus; ut Motus cæli, qui a violentia est aliis alienior, naturalior est atq; efficacior.

Non sinamus (quæso.) Quodnàm sit huiusmodi cæli motus, internum principium? ex eius enim perscrutatione, q̃ facilior erit nostræ dubitationis persuasio.

Principium igitur naturaliter cælum mouens, erit nè qualitas? uti graui, & leui, sursum & deorsum Elementa mouentur, & calore & frigore operantur? Minimè: Qualitati etenim si motus tribuatur, eodem motu semper moueat; eandem peragat operationem; & ad eundem (modò una sit) terminum moueat, est necesse: Calor quid agit nisi calorem? & frigus nisi frigiditatem? leue uadit sursum; & graue semper tendit deorsum: At si contrariæ essent Qualitates; cõtrarium in Mobili inducerent motum. Iàm uerò cælum semper æqualiter mouetur; ua

rios,diuersósq; producit effectus ; & uarias inducit figurationes?Quarè Cælum Qualitatibus non mouetur. Erit nè Natura Cæli mouens ipsum?Nec id; Quoniam cum Natura determinata sit,&quietis gratia solùm moueat;motus modum faceret ; Quod Naturæ circularis motus repugnat ; (ut Arist. docet in lib.de Cælo)Mouet Deus nè ? Nequaq̃;Nàm Prima causa uigore infinito excedit omnia,& nulli corpori familiaris est, sed æquè omnibus communis : Hinc alicuius corporis proprius non potest esse Motor.Forsàn erit Angelus ? Nec & ipsæ, nam Motus illæ cælestis coniunctissimus est Cælo ; semper enim cum ipso circum circa uagatur:Angelus autem neq; familiarissimus est Motor;neque mouetur.

Quid est illud per se mobile , quod mouet Cælum?Nō potest esse nisi Anima:Hæc etenim est,quæ cum sit per semetipsum mobilis;motionis uestigium omnibus elargitur corporibus:Et hinc asseruère Platonici, Cælestes sphæras Animis coniungit;& Cælestia corpora Animata esse : Quod & Aristoteli tribuère,& secundo de Anima, secūdo de Cælo contex.17.& Vndecimo diuinorum Cælestia corpora Animata esse, docet . Thæophrastus Aristotelis discipulus;

cum eo Auerroes; Auicennas; & Algazel hoc idem libentissimè confirmarunt. Sed dicerem ego,(non enim in uia Peripatetica mihi ꝓbatur; Cælum esse formaliter Animatum) ꝙ etsi Aristoteles cælum habere Animam asserat; hoc non simpliciter affirmat; ut per Animã constituatur in esse; licèt cum conditione motus; quatenus. s. assistit orbi ad mouendum, Cælum Animatum dicatur; non autèm ut Platonis sectatores fatentur.

Asserunt insuper nõ modo Cælos; uerùm & Elementa uiuere: Nam cum uideãt, ipsa motu intrinseco, sine motu extrinseco compellente, moueri; Animas iudicant illis inesse. Si.n. Hos interrogaueris; Quomodo Elementa ascendant, & descendant? Itidem quomodo Elementata? Dicerent ipsi; id per mouentem Animam fieri; ut quemadmodũ Magnes trahit ferrum, ità & Anima sphæræ particulas sui elementi ad semetipsam trahit: Hinc propositionem illam uulgarem, secundo libro de Cælo tex. 35. scriptam con firmauère; ꝙ ideò Motus naturalis leuis est in principio, & in fine intenditur, & est uiolentus; quia id quod mouetur, quando est suo loco proximum, trahitur ab Anima; ut lapis sursum proiectus, uiolentatur ad centrum, quia ab Anima terræ trahitur; Ignis

surfum fit uiolentus; quia Anima ignis rapit ipsum. Sed quàm uera sit huiusmodi opinio, non est modo discutiendum; non enim elementa Animata esse affirmo; Tunc etenim naturalitèr secundùm locum motiua, Vegetatiua essent, pariter, & sensitiua; quod sensui, & rationi aduersatur. Hoc quoq; de ipso Homine asseuerant; quia Homo Intelligit, ratiocinatur, & ab intrinseco mouetur; affirmant idipsum ab illa separata Anima habere esse, quæ substantialiter eius corpori unitur.

Intellectus itaq; iuxtà Platonis doctrinã, est Mens illa separata; per se mobilis; inter Deum, & Naturam Angeli, Media, pariterq; inter Qualitatem, & Corpus. Secundum autèm communitèr Phylosophantes; Anima est quid commune ad omnes Animatorum Formas; ut scilicet ad Animam Vegetantem, Sentientem, Extimatricem, Cogitatricem, Phantasiabilem, & Intellectiuam, suam habet latitudinem; & sub hac communi acceptione (secundo de Anima contex. 6.) deffinit Aristoteles Animam: Quæ est actus corporis physici organici potentia uitam habentis.

Si uerò secundum propriam, & germanã Animæ acceptionẽ phylosophari uelimus;

tunc aliud nō erit ipsa,nisi pars illa potior, quâ homo sapit,& intelligit,uti Arist. 3.de Anima primo,docet. Huiusmodi pars Intellectus est,siue Mens illa separata, immixta, & impassibilis;ut scribit Arist.3.de Anima tex.3.19.& 20. De qua lucidissimus Interpres Thæmistius super Tertium librum de Anima cap. 52. pulcherrimum sermonem habet:Comentator etiam Auerroes Septimo Diuinorum libro comentario 31. hanc propositionem scriptam reliquit;Anima est forma formarum.

Vndè ex his clarissimè apparet; ꝙ maxima apud Peripateticos inter Animam , & Intellectum lis intercedit , atq; differentia ; ut primo de Anima aduertit Aristoteles,Antiquos redarguens ; ex eò ꝙ inter hæc nullam ipsi posuère differentiam.Anima,(ut Physici referunt) non potest esse sine corpore;oritur,& simul cum corpore interit,uti & cæteræ Naturales Formæ(quemadmodum Aristoteles Tertio de Celo con tex.. testatur)ꝙ omnes naturales substantiæ ,aut corpora sunt,aut cum corporibus generantur,ac magnitudinibus. Intellectus uerò(quà Intellectus)est uirtus Abstracta , immaterialis,separabilis quidem à corpore;(ut secundo libro de Anima tex.21.scri-

bitur)ubi cùm Aristoteles diuisionem illã in textu 18.præmiserit; quòd.s. Anima est Vegetatiua, Sẽsitiua, Cogitatiua, Motiuaq; uirtute determinata; sequitur in textu 19. dicens. Vtrum autem unumquodq; horum sit Anima; uel Animæ pars: si pars An separabile sit ratione solùm, An loco: De quibusdam non est difficilè uidere, quædam autẽ dubitationem habent: Et cum in contextu 20. declarauerit, in quibus non erat difficile uidere; An tales uirtutes essent separabiles, illicò in contex. 21. institutum suum declarat, dicens: De Intellectu autem, & speculatiua potẽtia nihil adhuc manifestum est; sed uidetur genus alterum esse Animæ, & hoc solùm tanq̃ perpetuum a corruptibili separari posse.

Ex his distinctionem quandam breuiter elicio; Animam nempè (ut Peripatetico placet) duplici considerandi modo considerari: Vel secundum sui latitudinem, ut scilcet ad omnes Animæ partes, quatenùs animãt; est indifferens; & ut sic forma separata non est, sed generabilis, & cum Materia corruptibilis: Vel secundum præstantissimam partem, ut scilicet ad Intellectum refertur; & sub hoc considerandi modo est Abstracta, Immixta, & immaterialis. De huiusemodi

Animæ acceptione est institutum, & præsens nostra disputatio; Pariter, & de illa, quã ponit Plato Mediam: An scilicet in Humano corpore existens, idipsum informet, uel eidem assistat?

Præterea pro difficultatis sensu considerandum est, ꝙ Informare, seù Forma informans est illa ratio; quæ rem, & illud cuius est forma in esse specifico, & ultimo constituit; & ex qua operatio prouenit (ut doctissime Comentator Auerroes in lib. Destruct. Disput. x. in solutione secundi dubii: & secundo de Anima Comentario 3. affirmat.) Hæc Forma est ultimum rei, quam cõtinet; & materiam eius terminat, (ut ex eodem 4. phys. Comento 14. & 35. Tertio phys. com. 56. & secundo de Generatione, & Corruptione com. 50. colligere potui) Et ut subtilissimè inquit Scotus: Forma Informãs dat esse rei; Vnum per se facit; dat operari, & motum; quemadmodùm Aristoteles, & cũ eo Comentator Tertio de Cælo contex. 77. & secundo, contextu 80. asserunt.

Vltimò dicendum est, ꝙ Assistere; seù Assistens Forma illa dicitur, quæ minimè rem constituit in esse ultimo, nèc specificè differre facit; sed solummodo regit, & cui in operationibus assistit, illud gubernat; uti

Nautæ exemplo patere poteſt; qui Naui aſ-ſiſtens; non eſt in cauſa, ut Nauis Formaliter ſuum habeat eſſe; licet ut moueatur, & operetur: Regit enim, & ui ſua gubernat eam.

His ſic conſtitutis, & declaratis terminis. Dubitationis ſenſum manifeſtè apparet; æquè ac dicatur:

Vtrum Anima Intellectiua adueniens Homini conſtituat eum in eſſe ultimo, & ſpecifico? Hoc eſt aſſerere; An Intellectus ſit cauſa; ut Homo Formaliter ſit Homo? Vel potiùs aſſiſtit Homini? ideſt, qu ſolùm Hominem in operari, & mouere regat, & gubernet? Quid in hac, non ſpernenda diſputatione; Alii ſenſerint eſt referendum: & hæc de Secunda Sectione.

PENTELOGII.

FR. TREBATII MAREOCTI

De Penna, de Forma, Specifica Hominis,

Ad Illustrissimmu & Reuerendissimum Cardinalem de Vrbino.

SECTIO TERTIA.

Quid alii de Vltimo esse Hominis affirmẽt, in hac sectione è referendum.

Mota fuit Quæstio De Forma Hominis Specifica; An scilicèt Intellectus sit Forma Informans, uel potiùs Assistens? Superq; satis Dubitationis sensus dilucidatus est; Modo quid opinentur Alii, est conquisitè, grauiterq; uenandum.

Alexander de Aphrodisiade (ut sibi Auer. Tertio de Animo Com. 6. imponit) huius fuit sententiæ, & opinionis; quod Anima Intellectiua est Forma substantialis Hominis, Formalitèr Humano corpori esse tribuens, multiplicabilis ut corpora; generabilis tamèn, & corruptibilis uti corpora gene

rantur,& occidunt:Dicebat enim ipſæ, (ut patet Cōmentarium illud perſcrutanti) ꝙ Anima Hominis eſt omnium materialium Formarum nobiliſsima; ueluti & eius corpus alia antecedit corpora:Hæc eadem Anima(inquit)præparatoriam quandam partem,(quam Intellectiuam affirmabat) ad Intelligibilia recipiēdum ſupponit. Quæ quidem organum ſibi in corpore proprium nō uendicat;quemadmodum cæteræ ſibi determinant Potentiæ: De hoc præparatiuo Intellectu, omnes peripateticas ꝓpoſitiones exponit,& declarat: Intellectus nullius eſt corporis actus.i.determinati organi:Eſt immixtus,& ſeparatus,hoc eſt, à parte organica ſibi appropriata: Hæc igitur eſt Alexandrea Affirmatio.

Verùm tanti Hominis Poſitio partim eſt affirmanda,partimq; neganda. Eſt inquàm uera, quando Aſſerit Animam Intellectiuā eſſe Formam Hominis ſubſtantialem, ſibi eſſe Formalitèr elargientem:Nam Ariſt.(ſecundo de Anima tex.6.) aſsignans communem cuiuslibet Animæ deffinitionem, illā eſſe actum corporis aſſeuerat; & contex. 7. eam declarans,Actum Primum eſſe corporis affirmat.Comentator etiam in Comentario, Actum Primū Primam corporis per

fectionē appellat; Atqui Actus Primus, & prima Hominis perfectio est (habere esse) Intellectiua igitur Anima secundum esse, & formalitèr, eidem copulatur, & inest.

Ampliùs, eiusdem libri contex. 8. corroboratur; Cupiens Aristoteles, ut nobis innotescat; Quomodo Forma sit substantia, inquit: Anima est substantia; quia est quod quid esse corporis; Hoc est; quoniam per Animam Humanum corpus habet esse substātiale; igitur Anima est substantia: Forma enim (ut secundo de Anima 24 legitur) est ratio essendi, & cognoscendi; Iàm uerò de qualibet Anima uerba facit eo ĩ loco philosophus, (ut in eius progressu, & in Comentario Auerrois apparet) Intellectus itaq; est quod quid esse Hominis; & cōsequentèr substantialis Forma eius.

Est insupèr uera, ut ad corporum multiplicationem ipsam multiplicari refert: Nā colligitur ex Platone in Thimæo, ut etiam recitat Proclus in Comētariis Parmenidis; ꝙ Animæ rationales sunt plures, secundum ꝙ corpora sunt plura: Ad quod fortasè posset adduci id, quod Peripatetici disputant de Stellis, secundo de Celo contex. 59 ꝙ Animæ rationales non sunt eiusdem speciei uniuocè: Infero ego, ergo plures. Insuper e-

iusdem sententiæ uidetur esse Aristoteles secundo libro de Gen.animal.cap.3.ubi habet;uehicula Animarum differre nobilitate,sicut & Animæ; & ibi de Animabus rationalibus loqui uidetur; Quarè secundum hanc partem de Animorum pluralitate rectè disputat.

Est autèm falsa cum generationi,& corruptioni subiectam esse deducit:Namq; Aristoteles primo de Anima contex.65. ait: Intellectus autem uidetur innasci(substantia quædam existens)& non corrumpi; marcescente corpore marcescit,Senius,quia defatigatur seniò;Intellectus uerò non defatigatur senio ; quia (ut concludit in tex.66.) est impassibilis;licèt hoc intelligere, & speculari(quodam interius corrupto, hoc est, Phantasia)corrumpatur.

Ampliùs secundo de Anima,a contex. 19.usq; ad Vigesimum Primū dicit ; quòd quædam Animæ sunt inseparabiles, ut Vegetatiua,& Sensitiua ; sed tanq̃ Perpetuum à corruptibili separatur Intelle ctiua.

Item,Tertio de Anima 19.inquit: & hic Intellectus separabilis est, immixtus,& impassibilis:Et 20 contex. clariùs ; Separatus autem est solùm hoc,quod quidem est ; & hoc solùm immortale est,ac perpetuum.

Præterea

Præterea ſecundo de Generatione Animalium cap. 3. idẽ affirmat; Reſtat ut Mens ſola extrinſecus accedat, eaq; ſola diuina ſit; Aliæ uerò Animæ de ſemine educuntur; Anima igitur eſt a materia ſeparabilis, ergo ingenerabilis, & incorruptibilis.

Accedit, quemadmodùm Generatio eſt Formæ cum Materia coniunctio; non enim aliud dicitur, niſi res de potentia ad actum conuerti (ut teſtatur Comentator Deſtruct. Deſtr. Diſput. prima in ſolut. 2. dubii) Ità Corruptio eſt eiuſdem ab eadem ſeparatio; cum de eſſe ad non eſſe (ut pluribus in locis & in Logicis, & in Phyſicis declaratũ eſt) progrediatur: Vbi igitùr non eſt harum rerum coniunctio, nèc accidit ſeparatio: At in Anima Intellectiua, nulla talis eſt compoſitio, ſiuè Generatio; quia tũc neq; Actus, neq; Formæ includeret uirtutem: Formæ.n. (ut Metaphyſicus 12 libro Diuinorum con tex. 12. & ſeptimo libro contex. 26. & 27. diſputat) minimè competit Generatio, neq; Materiæ; ſed potiùs ex his cõpoſitum. Hoc reſpondet Ariſtotelis dicto 3. de Anima. 3. 6. 7. & 19. Compoſitum enim tantùm generatur; ut etiam ipſemet 7. Primæ Phyloſophiæ textu 21 docet. Nèc eidem congruit corruptio; cum nullam Materiæ proprieta

tem,& conditionem includat; quæ proprie causa corruptionis,& abscisſionis exiſtit;ut patet Deſtruct.Diſput.4. in ſolutione ſecun di dubii;& ſecundo de Cælo tex.com.38. ſeptimo Metaphyſ.22.& 23. Eademq; ſemper ad deſtructionem, & maleficium tēdit (ut notat Auerr. Primo Phyſ.) Comentario 79. Primo, & Tertio de Subſtantia orbis; Sexto Meth. Comen. 22. & Primo Cæli 20. Ex his itaq; Intellectiua pars immortalis eſt, & incorruptibilis: Si enim Intellectui Humano,uti Animabus Brutorum Genera tio,& corruptio uel competeret,uel ineſſet; tunc Forma extenſa foret;partem poſt par tem includeret;diuiſioni ſubiaceret; atque materialiter in corpore reciperetur: Quib. poſitis,hæc ſequerentur incommoda; ꝙ Intellectus ſeipſum,nèc alia intelligeret;Intel ligibiles ſpecies non reciperet: omne enim recipiens(ut 3.de Anima.3.legitur) debet eſſe denudatum à natura recepti;& neceſſa riò,non modo cōtextus Quartus Tertii de Animo,ſed & uniuerſa rueret Phyloſophia: Quis igitur niſi Mentis impos, Intellectum generabilem, eundemq; corruptibilem affirmare poterit?

Plato quoq; ſapientisſimus ex pluribus eius Dialogis, ut omnes eius Interpretes

consentientèr exponunt,uidelicet Iamblicus,Plotinus,Proclus,Porphyrius,& reliqui; Animos esse Immortales manifestisſimè asserit.In Gorgia tenet; Animis iniustis post mortem constitutas esse Pænas;iustis autem decreta præmia.Quod hoc uerum sit, & nõ fabulosum,in x.libro legum affirmat; ubi,q̃ id negauerit,legem punientem tulit.

Insuper non affirmat Plato , omnes Animas(ceù quidam sibi imponũt)hoc est sensitiuam & Vegetalem esse immortales , ut Pyttagorici;Sed tantùm illam;quam per ec cellentiam uocat Animam simplicitèr,quæ Intellectus est;& Hæc est triplex,Cælestis , Genialis,& Humana ; Brutorum autem & plantarum uitas potiùs uocat,q̃ Animas : Vndè cum dicit,omnem Animam esse immortalem, solùm Intellectiuam accipit.

Ex Phædro (ut Thæmistius 3. de Anima cap.37.recenset;& Auer.8.phys.com.40. refert)hæc ratio colligitur. Omnis substantia ex se mobilis,est Immortalis;qđ enim ex se mouetur ingenitum est; At oĩs Anima rationalis est ex se mobilis;quoniam in motis,& mouentibus non ẽ progressus in infinitum(ut 8.Phy.& 2.meth.dicitur)ergo datur status in mouentibus &motis ex se;Hoc nõ potest esse substãtia corporea (ut in phy.

legitur, igitur substantia incorporea est mouẽs & mota ex se; Quarè Anima rationalis corruptioni subiecta esse nequit: Motus autem Animæ appellatur à Platone operatio, (ut interpretatur Themistius lib. 1. de Anima cap. 35.) & Auer. 8. phy. 40. & Diuus Thomas 8. physſ. & Macrobius in somnio Scipionis, & Arist. 2. Meth. cap. 4.) Quæ quidẽ minimè a corpore dependet. Confirmatur ex Phædone; Nam cum Intellectus non sit uirtus affixa corpori, sed potius, dominatur ipsi; in operando non dependet a corpore, (sicut Virtus organica organicè operat̃)? Quomodò igitùr a corpore secundum suam operationem Indepẽdẽs, poterit esse corporeum? Intellectus itaq; immortalis est.

Altera opinio ferè ex diametro Alexandro aduersa; est Magni Comentatoris Auerrois, qui Tertio de Anima com. 5. & 6. (ut superiori cap. enarrauimus) omnibus neruis affirmare uidetur; ꝙ Anima Intellectiua Humano corpori adueniens, nõ est eius forma Substantialis, & Informans; nèc cum corpore unum per se faciens: sed solùm unitur ei tanq̃ Forma Assistens, (ut Motor Mobili, & Nauta Naui) seù in ratione principii operatiui; quatenùs. ſ. ab Idolis, & Simulacris in Cogitatrici uirtute repertis, ad In-

telligendum mouetur: Affirmat enim Intellectum mediis Phantasmatibus Humano corpori in actu uniri. Addit insuper, quod huiusmodi Intellectus sit in omnibus Hominibus Vnus; & Imortalis. Infert hinc Solā Cogitatiuam, supremam Animæ sentiētis Partem, Formam Informantem esse; & concludit Inellectiuam solùm in operationibus Homini assistere.

Quam sentētiam, uel potiùs existimationem, ad ueritatis culmen & Authoritatib. & Rationib. redigere conantur Auerroistæ.

Et primo Authoritatem illam, quam scribit Aist. 2. de Anima tex. 17. afferunt; quod Intellectus dicitur actus corporis, ut Nauta Nauis; Nauta autem minimè Nauim informat; sed ei assistit: Non enim est causa, ut Nauis sit, & non possit esse sine ipso; sed est in causa, ut minimè Nauis operari ualeat ipso absente. & eodem contex. inquit (Intellectum esse separabilē; quia nullius corporis actus) Hoc est dicere; si Anima Intellectiua esset Forma dans esse, & Substantialis Hominis; nequaq̄ ab Homine separari ualeret: At nihil prohibet (sequitur) eam ab Humano corpori separari: igitur non secūdū Formam dantem esse: sed solùm secundum operationes copulatur Intellectus Homini.

Adducunt etiam rationes uarias:

Primò, Omnis uirtus Abstracta, & a corpore separata, si corpori unitur; solùm ut Motor Mobili, & Nauta Naui adiungitur; nam Forma non separatur ab eo cuius est Forma. Intelligentiæ ideò Cælestibus Corporibus tantùm ut Matrices assistunt; quia sunt Abstractæ, & a corporibus ipsis separatæ: At Anima Intellectiua est Virtus Abstracta, & à corpore semota (ut patet per Arist. 3. de Anima tex. 19. Et eiusdem Tertii per Auer. cō. 7.) igitur solùm corpori unitur (ut Motor) per assistentiam.

Confirmatur hæc ratio. Si Intellectus esset Forma Materiæ; hæc duo sequerentur incommoda: Idem Mouens, & Motum diceretur: Et idem seipsum reciperet; quod, & sensui, & rationi repugnat: Deduco primum inconueniens. Intellectus Possibilis natus est moueri ab omni forma materiæ; quia est omnia fieri (ut 3. de Anima 18.) supposita tamen cum hoc intellectus Agentis actione: si igitur Intellectus esset forma materialis; tunc Intellectum moueret; & sic semetipsum. Deduco Alterum; Intellectus est cuiuscunq; materialis formæ receptiuus, ut patet legenti 3. de Anima: si igitur Intellectus esset forma materiæ

sui ipsius reciperet cognitionem; ergo & seipsum. Nunquid hoc esse possit? Nequaq̃: igitùr, nèc Intellectus forma corporis.

Vlterius, Illa uirtus solùm secundũ operari unitur Alicui; quæ per se existens est; Nulla enim forma dans esse per se existere potest; cum inseparabilis sit abeo, cui dat esse (ut 2. phys. tex.x.&.1. decælo 92. uidere est) Sed Intellectus est per se sine corpore existens; quia est Abstractus, est Immixtus, non corpus, nec Virtus in corpore (ut Arist. & Comentator asserunt 3. de Animastica facultate Cap.1. per totã); quomodò igitùr erit forma dans esse Homini?

Ampliùs, Virtus Infinita magnitudini finitæ secundum esse uniri non potest, licet secundum operari: finiti .n. ad infinitum nulla est proportio; & præcipuæ essentialis, (ut apud phylosophũ 8. phys. contex. 15. legitur) tunc enim corpus finitum Infinitum fieret; quia finitas, & infinitas (ex Auerroe primo cæli com. 61. & 1. cap. de substantia orbis) à forma procedit, Intellectus autèm infinitus est; quia infinita intelligit ut potè Propositionem Vniuersalem; in qua pro singularibus infinitis fit distributio; corpus uerò, siuè illud sit sensibile, siuè Intelligibile, finitum est; ut ex Arist. 3.

physſ.contex. 40. patet: Nèc corpus hoc infinitum imaginari poteſt; ut ex Ariſtotele primo de celo tex. 39. habetur : Imò nèc actionem habet infinitã; uti ex. 8. phyſ. 79. & 7. phy. tex. 2. elicere potui. Quarè Anima intellectiua; quæ eſt infinita minimè terminato corpori ſecundum eſſe; licet ſecundùm operari, uniri ualet.

Accedit; fieri non poteſt; unam, eandẽq; materiam ſecundùm ſe totam, & quam libet ſui partem, à pluribus formis ſubſtantialibus habere eſſe; ut doctisſimè diſputat Auerroès in lib. de ſubſtantia orbis: Atqui Homo habet eſſe ſuum à forma quadã ſubſtantiali, alia ab Intellectu; nam corpus ante Intellectus aduentum, eſt formaliter corpus humanum; & poſt ſeparationem eiuſdẽ remanet idem corpus; quoniam compoſitum ex duobus, quorum unum per ſe eſſe poteſt, alteri per ſe eſſe non repugnat; modo illa non ſit compoſitio ex ſubſtantia, & Accidente; ut 12 Meth. tex. & com. 35. & 8. phy. 37) intellectus igitur non eſt forma ſubſtantialis Hominis.

Inſuper, ſi Intellectus eſſet forma dans eſſe corpori Humano; & ei ſecundum eſſe unitus; ego quæro de illa unione; uel eſt eadem cum Natura Animæ; Vel eſt Accidens

eius: Si dicatur, quòd sit substantia Animæ igitur, Anima erit corruptibilis, cum illa unio statim corrupto corpore corrũpatur: & hoc est falsum, quia Intellectus separatur ab aliis Animæ partibus, tanq̃ Perpetuum à corruptibili; ut pluribus in locis testatur Aristoteles: Si uerò dicatur, quòd illa unio est Accidens eius, tunc Homo esset in esse ab intellectu constitutus per accidens; siue illud sit separabile, siue inseparabile; quòd satis deridendum uidetur.

Præterea, si Intellectus esset huiusmodi forma constituens; tunc corruptio Hominis non esset secundum substantiam transmutatio, sed secundum accidens: Hoc ultimum est error in phylosophia, & in ueritate; ergo, & primum erit maximus error: consequentia est clarissima; Nam illa non est substantialis corruptio, in qua substantia nõ corrumpitur; At Intellectus incorruptibilis est; igitur Homo accidentalitèr corrumpitur; si Intellectus fit substantia eius.

Postremò: Quælibet pars corporis intelligeret; cum ibi reperiatur potentia Intellectiua; Intellectus enim indiuisibiliter recipit in corpore; Manus Intelligeret; Pes Intelligeret; q̃ omninò Falsum est; Falsũ quoque, Intellectum informare: Nèc ualet ea re-

sponsio; quod et si in Manu, uel quauis parte sit potentia Intellectiua: tamèn non Intelligit; quia non est ibi Phantasma: Quoniam saltèm sequeretur, quod Cerebrũ Intelligeret; cum ibi phantasma reperiatur: Nèc hoc cõceditur, quoniam solùm Intellectiua pars è, qua Homo sapit, & Intelligit. Quapropter Forma substantialis Hominis minimè esse potest. Hæc pro Fundamentis.

Addunt insuper Auerroistæ, Formam corporis in Naturalibus esse bipartitam; Quarum Altera est Formalis corporis pfectio, sibi secũdum esse unita; quæ simul cum materia unum per se constituit; materiam informat; & ipsam ratione Actus primi perficit: & ut sic, dicunt, Animam Intellectiuam non esse Formam corporis; quoniam Homini in esse per Cogitatiuam Virtutem constituto, aduenit; itaùt secundum Hos, ex corpore, & Anima Intellectiua non fit unum per se secundum esse. i. unitate compositionis, & specificæ perfectionis.

Altera uerò dicitur Forma Corporis, ut est operans intrinsecum Corpori appropriatum, a corpore loco, & subiecto non distinctum: Et hoc pacto, asserunt Intellectum esse Formam Corporis intrinsecam, ipsi corpori in ratione principii operatiui coniun-

ctum:Ex hac autèm coniunctione,materiæ scilicèt,& Intellectus fit unum unitate ordinis;& quantum ad eius operationem, quæ est Homini essentialis:Vndè isti, duas Formas inHomine ponentes,recensent,Animā sensibilem secundum superiorem Partem, (hoc est)Cogitatricem,materiamHominis secundum esse Informare: Rationalem uerò tātùm elargiri operationes. i. Principii, quo Homo mouetur, & Intelligit, munere fungi:Sat dictum pro prima parte.

Addebat pro Altera parte Comentator; ꝙ in omnibus Hominibus est unicus Intellectus;non enim numeratur ad corporum multiplicationem:Nam Aristoteles lib. 12. Meth. contex.49.uolens probare, Formam Primā esse unicam,utitur hoc medio: Omnis Forma Immaterialis est una numero sub unica specie;Et lib.1.de Cælo tex.com. 92.dicit;ꝙ omnis forma numerata numeratur per Materiam numeratam; & constituitur per eam:Rursùs,Octauo libro Thæologiæ,cap.6.affirmat;ꝙ rerum pluralitas numeralis est per materiam:His sic cōstitutis; Cum intellectus Immixtus, & immaterialis sit;quomòdò numerabiles erunt numeratis Corporibus?

Item Auer.lib.3.de Anima cap.5.decli-

nat ad Vnitatum Intellectus propter immaterialitatem eius: & in opere contra Algazelem disp.prima. Dub. 7. cum uideret; posita Mundi Æternitate,atq; etiam Intellectus,(si Animæ rationales numerentur ad Hominum multiplicationem) infinitum fore earum numerum, ob infinitos Homines iàm defunctos:Hæc Infinitas repugnat Intellectui in rerum Natura; igitur & pluralitas.

Rursùs, ex Mente Platonis,lucidissimus Thæmistius primo de Anima cap. 24. ponit unitatem Intellectus;& assignans rationem, ait; quia communes sunt Hominum conceptiones:si autem plures essent Intellectus;tunc auferetur disciplina, & colloquium. Confirmat,Animæ rationales non sunt numero differentes; quia non habent causam differentiæ;Immateriales enim sũt, & immixtæ. Hinc factum est secundum hãc uiam,ꝙ quemadmodum Intellectus nõ est forma dans esse,sed assistens;ità non dat numerum,sed unitatem.

Cæterùm hæc Auerrois assertio,secundũ utranq; partem nèc est uera, nèc Aristoteli cõsona:imò pluribus in locis,sibi, & doctrinæ suæ aduersatur.

Quantùm ad ultimam partem de Vni-

tate Intellectus, Hæc sententia est omninò reiicienda;non modo secundum fidem Catholicam;uerum etiam secundum Peripateticorum dogmata.Nam Secundo Phys.tex. & com.26.Aristoteles ponit plures formas in Materia;& tacitè Humanas Animas subiungit:In lib.de Gen.Animal:ponit Hominem fieri ab Homine; quoniam forma filii fit à forma Patris.Rursùs colligitur ex 12. Meth.contex.4.& ex lib.1.de Cælo tex.92. ubi Arist.ait; q̄ si essent plures Cæli,ut Homines;essent plures Formæ Cælorum,ut Hominum,numero solùm differentes,&specie eedem; ubi clarè ponit AnimasRationales esse eiusdem speciei:Clarius in x.Meth.tex. 25.dixit; describens,Hominem esse speciē specialissimam ; q̄ si Intellectus differrent specie,Homines non intelligerent eadem, ubi apertissimè commemorat;ponendam esse pluralitatem Intellectuum.

Hæc etiam est sententia Platonis, cum in Thimæo inter Animas rationales differentiam maiorem, quàm sit numeralis ponere uideatur. Solus Auerroes est,qui Mentem esse unam affirmat; imò non affirmat,sed opinatur,& dubitat. Hinc lib.3.de Anima cap.5. hæsitantèr loquitur; & rogat alios, adhuc ueritatem inquirere,& discute

re; si quidem magnam imposſibilitatem multorum conſequentium proſpicit; ſi Intellectus dicatur eſſe unicus in omnibus Hominibus: & ſi Aliqui eius dubio æſtipulantur, & ſe ſubſcribant, non tàm ex animo hoc agunt, q̃ quodam ambitionis ſtudio; ut apporeant paradoxa poſſe defendere: Hinc meritò inquit Scotus, quod hoc paradoxon tantum abeſt, ut nunq̃ probabile fieri poſſit: Meliùs enim dixiſſet Auerroes; ſi cum Thæmiſtio unum Intellectũ illuminantem, & plures illuminatos introduxiſſet; uel cum Plotino, Deum unicum intellectum, ubiq; totum, ut lumen ſoli ineſt; poſuiſſet; uel ſaltèm cum Auicẽna multas Mẽtes uni Menti, quaſi formabiles formatori.

Nèc deſunt contra Auerroem argumentationes.

Primo ſi unicus eſſet in omnibus Hominibus Intellectus, tùnc neceſſariò duo contraria ſimul in actu eſſent in aliquo; q̃ ab omnibus deridetur; Nam, dato quod ego de una Concluſione habeam certam ſcientiam, nempe quod Intellectus ſit forma Hominis; & tu de eadem concluſione ſentis contrarium; quod ſit aſſiſtens; nonnè ſimul in actu in Intellectu erunt duo contraria? certiſſima ſcientia & erronea opinio,

In Intellectu autem isti habitus reperiūtur.

Præterea, cum in Vniuerso reperiri possint deo Homines diuersi; fælix unus, & Miser alter; & felicitas (ut scribit Aris.4.Ethic.) in intellectu consistăt; quomodo illæ miser erit? Vel erunt fælices ambo; uel plures Hominum Intellectus.

Rursis, Anima Indoctisſimi Viri, & Vilissimi rustici omnes Artes liberales sciret; uti Anima doctisſimi; si unicus esset in Hominibus Intellectus.

Insuper, idem intelligere esset in omnibus Hominibus, si unus Intellectus esset in illis; illud est falsum, falsum & istud. Probatur falsitas; namq; diuersorum indiuiduorum numero scilicet differentium; fieri non potest; ut sit operatio una numero: Consequentia patet; Nam; actio, quæ est unius agentis non plurificatur nisi ratione subiectorum; ut ex gr. unius caloris non possunt esse plures calefactiones, nisi respectu plurium calefactibilium: At operatio intelligendi est actio immonens in agente; & non transiens in Pphantasmata; igitur non potest ipsum intelligere plurificari: nisi plurificetur intellectus, in quo intelligere recipitur.

Est quoq; Auerrois argumentatio, quam

aduersus semetipsum adducit per tria incommoda. Primũ est; quod quãdocunq; ego essem tu esses; cũ quotidie maneat, & tua & mea prima perfectio. Secũdum est; quod Aliquis Homo generandus esset genitus; cum genita sit sua prima perfectio. Tertiũ; quod quicquid ego scirem, tu scires, & si ego affirmarem unam conclusionem; tu eandem affirmares si unus esset & meus, & tuus intellectus; Hæc omnia rapiunt Homines ad risum, igitur ridiculosa est unius Intellectus positio.

Nèc ualet Aliorum solutio; ꝙ scilicet nullum horum incommodorum sequitur; Non primum, quia licet quotidiè maneat perfectio, quæ est Intellectus; tamèn non semper remanet prima perfectio, quæ est Cogitatiua, per quam ego sum, & tu es: Non Alterũ; quia dato; ꝙ perfectio Intellectus non generetur, nèc corrumpatur; tamẽ perfectio, quæ est in Phantasia non generatur; priusq; generetur illud cuius ē perfectio: Nèc Tertiũ; quoniam sciẽtia tua pendet ex Phantasmatibus tuis; & Intellectio mea, ex Phantasmatibus meis; quæ eædem non sunt, sed aliæ, & aliæ. Non ualet inq̃; quoniam Prima Hominis Perfectio, (ut magis patebit in sequentibus) est solùm ab Intellectu; & non Cogitati

ua uirtute;nam Intellectio recipitur in Intellectu,& non in Phantasia, Ideò ratio Auerrois in suo remanet robore contra seipsum.

Cæterùm dissoluendæ sunt rationes Auerrois & sequacium.

Erat una ratio Aristotelis;ꝙ Omnis Forma numerata est per materiam numeratã. Putant enim isti , solam materialem formam,per materiam constitutam numerari numerata materia;Formam uerò immaterialẽ nequaq̃ : Hoc tamèn apertè falsum est; & locum Arist. in 12. meth. quem pro sua positione adducunt , malè interpretantur:Nam,illicAristoteles palàm asserit; ẽt Formam solùm constituentem materiã, & nõ cõstitutã; numerari numerata materia:Hoc idẽ affirmat lib. 1.deCælo tex.cita to,ubi ait;ꝙ si essent pluresmateriæ cælorũ, forent plures Formæ Cælorum: At Celorũ, Formæ iuxta Aristotelis sententiam sunt constitutiuæ materiam; & non constituuntur per eam.Vndè Aristotelis intentio est; ꝙ omnis Forma constituens materiam ; siuè constituatur per eam,siuè non, est numerabilis numerata materia : Ad authoritatẽ igitùr, omnis Forma numerata numeratur per materiam:Dico ꝙ institutum Aristote

lis eo in loco,est uelle probare;ꝙ Forma Prima non sit numerata;neq; numerabilis; eo quia,cum sit actus purus,non est forma constituens materiam:

Verum hic est hoc aduertendum;ꝙ Arist.eo loco,non accipit materiam pro altera parte compositi; ut interpretatus est Diuus Thomas;unde dixit,Causam Indiuiduationis esse Materiam; Sed accipit ibi Materiam, (ut subtilissime ibidem declarat Scotus)pro aliquo addito; & pro cōtractione quadam;Modo cum in Deo non sit huiusmodi contractio, & additio per suæ naturæ simplicitatem; ideo eius quidditas est de se hæc;& nullam includit materiam; Aliæ uero Intelligentiæ cum includant hāc contractionem,appellātur Formæ, & actus; & sic ruit ratio,& dilucidatur textus.

Ad Auerroem,qui 3.de Anima cap.5. inquit Vnicum esse in omnibus Hominibus Intellectum,dicendum; ꝙ si hoc affirmatiue asserat(ut facit)est omnino negandus; si aliter,dico,ꝙ hæsitantur loquitur:

Ad illud uero quod adducit; ꝙ infinitæ essent Animæ,propter infinitos Homines, qui iam præcesserunt. Dico breuiter quod illud infinitum negat Arist.dari in actu,cui non potest fieri additio;Modo,cum quoti-

diē fiat additio in Animabus;non ualet cõ ſequentia;ergo daretur infinitum in actu. Præterea,quando Ariſtoteles negat dari in finitum in actu;loquitur de infinito ſecundum magnitudinem, ut patet legenti tractationem de Infinito.3.phyſ. Animæ uerò cum ſint Subſtantiæ Abſtractæ; & nullam includant molis magnitudinem; ipſis non repugnat infinitas in actu.

Ad illud Thæmiſtii ex mente Platonis; ꝙ ſi eſſent plures Intellectus, non eſſent cõ munes Hominum conceptiones.Dico,ꝙad hanc communitatem ſufficit idemptitas,& unitas ſpeciei;in qua,plures Animæ ſunt una Anima;quemadmodum,Participatione ſpeciei(inquit Porphyrius)plures Homines ſunt Vnus Homo: Ad Confirmationem uerò;ꝙ Plures Animæ numero non differũt, quia non habeat cauſam ;Dico;ꝙ differunt tantum accidentalitèr; uti Indiuidua eiuſdẽ ſpeciei,ut docet Ariſt.lib.2.poſt.& Simplicius in Præd. Cauſa autèm huiuſmodi differentiæ;eſt differentia indiuiduaria ſecundum Auicennam; quas differentias Indiuiduales ſubtilisſimus Scotus, ſecundo ſententiarum Thæologicarum diſt.3,admittit: Quæ modo ſit hæc differentia Indiuidualis & Abſtractorum, & Materialium,

non est præsentis negocii: Manifestum est igitùr, quid de hac parte dicendum sit.

Quòad uerò potiorem partem, de Forma scilicet specifica, est undequaq; Auerrois Imaginatio respuenda.

Primò, ut è à ueritate aliena; Nam, ea Virtus, quæ est alicui solùm secundum operationem unita; uti Motor Mobili; ei denominationem essentialem (ut ipsemet concedit) non communicat: At Anima Intellectiua elargitur Homini denominationem essentialem, (ut ipsæ 3. de Anima com. 1. fatetur, inquiens. Hominem per rationale, & Intelligere, constitutum esse; & a cæteris Animalium speciebus differre; uti etiam & Aris. 12. Meth. tex. 38. & x. Ethi. cap. 9, docet:) Anima igitùr Intellectiua non unitur Homini, ut Motor; sed ea est Forma, per quam unusquisq; nostrum in Humana specie collocatur.

Nèc ualet Auerroistarum euasio, ꝙ Homo non dicitur Rationalis primò; sed talis appellatur, quatenùs est quid ex Animali, Cogitatiua, & Mente conflatum; & per nobiliorem partē Rationalis nominatur; ueluti etiam dicimus Hominem hunc esse Simum, quia habet nasum Simum; non aūt, ꝙ hoc sit primum esse eius: Non ualet in-

quàm,quoniam Nasus est Humano corpori continuns,ideò ab eo denominatio conceditur;Mens uerò,& Intellectus,neqnaq̄ Cogitationi è continua:Accedit,cùm Intellectus sit species quædam,ab Animali,& Cogitatiua secundum esse separata; & hoc Animal Cogitatiuum est altera species seorsùm ab Intellectu:Quomodo cognomentū differentiæ huius speciei, In illam speciem pertransibit? Nam quemadmodùm Auer. non probat;ꝙ Mens propter Cogitatricē, Cogitatrix,& sensibilis dicatur;ità nèc propter Mentem, Cogitatiua Rationis nomen sortiatur.Insuper, nèc illud differentiæ nomen in aliquod Tertium, (Quod ex illis efficitur,)migrabit;una enim Differentia speciem exigit unam ; & econuersò, necessum igitur dicere; ꝙ,cum Homo à cæteris speciebus ratione differat;Ratio, siuè Intellectus sit forma separata eius.

Ampliùs in Auerroem:Quæcunq; uniuntur Alicui solummodò per Virtutis contactum;uti MotorMobili,& Nauta Naui;non constituunt aliquod per se unum; Hoc non negaret Auerroes,nèc Amicus eius: Verū Anima Intellectiua unitur Corpori(per Auerroem)secundum Virtutis operatiuæ cōtactum,igitur ex corpore, & Anima ratio-

nali non fit unum per se: Quarè huiusmodi compositum non erit per se ens, sed per Accidens; & tunc Homo non esset species Vniuersi, nèc in rerum natura haberet deffinitionem.

Huic rationi solitus erat respondere Plato; quod Homo non est aliquid, nèc unum per se compositum ex Corpore, & Anima Intellectiua; sed Homo est ipsa Intellectiua Anima utens corpore, ut indumento; quemadmodum Sortes non est aliquod compositũ per se ex Homine, & Indumento suo; sed ẽ Homo utens Indumento. Miror equidèm, cur Diuinus Plato sic irrationabilitèr hac de re locutus fuerit; Arguo autem contra ipsum. Homo, & Animal inquantùm huiusmodi; sunt entia naturalia, & sensibilia; cũ in seipsis principiũm motus, & quietis includant: De Natura autèm, & essentia huius rei; non modò est Anima, sed Corpus quoq; ; cum Homo essentialitèr ex corpore, & Anima constet: Si itaq; Corpus erit pars Hominis; quemadmodum & Anima, (Hæc quidem Formalis, illud uerò Materialis) quomodo corpus erit indumentum Animæ? Hac eadem Ratione 7. Meth. tex. 39. usus est contra eundem Aristoteles; ubi ad literam inquit. Et Parabola de Animali,

quam Iunior Socrates.i.Plato Socratis Discipulus, dicere solebat, non benè se habet; abducit enim à uero:& opinari facit, tanq̃ contingeret Hominem sine partibus esse, quemadmodum absq; ære circulum Hoc est; sicut de natura Circuli non est tantum Æs, sed Forma æris; sic de ratione Hominis non est ꝙ habeat partes, Carnem, ossa, neruos &c. sed & Animam; igitur cum ex Intellectu, & Homine fiat unum per se necessariò, non poterit corpus esse Indumentum Animæ.& consequenter Intellectus Formalitèr, & per se est Forma Hominis.

Secundò è reiicienda; pro ut est contra Magistrum suum Aristotelem; qui secundo de Anima contex.5.& 6. assignans communem Animæ definitionem; dicit, esse Actū corporis; sub qua etiam Anima Intellectiua rationabilitèr continetur: Est igitur Intellectus actus corporis:(Actus inquam Primus) Actus Primus non est operari, hoc enim (ut communitèr omnes Interpretes ex ponunt) competit Actui Secundò, ut magis patebit in sequenti sectione: Non igitùr, ut forma operans; sed ut informans unitur Intellectus corpori: Insuper ex Arist.9. Ethic. cap.9.& x. cap.8. colligitur, ꝙ potissimùm in Homine Principium est Intellectus sepa

ratus,qui non poteſt eſſe patibilis:Vbi utrobiq; Auer.exponit;Intellectum eſſe principalem Hominis partem;& eiuſdem exiſtẽtiam,eſſe per Intellectum.Item lib.2.de Gener.Animal.cap.3.quærens Ariſt. A quo eſt forma ultima Hominis,qua Homo eſt Homo?Reſpondet,ꝙ Intellectus, qui ab Agente extrinſeco accedit;& loquitur de Intellectu ſeparato , ac conſtituente formalitèr Hominem ; alioquin opportunè propoſitæ Quæſtioni de Forma Hominis conſtituente,minimè reſponderet.

Poſtremò huiuſmodi opinio aduerſatur ſibi,& ſcriptis ſuis:nàm ſecundo de Anima com.6.&.9.declarans Animæ definitionem inquit;ꝙ Anima eſt in corpore,quemadmodum Forma in Materia;& loquitur de qualibet Anima:Sed Forma eſt quæ dat eẽ rei, & cõducit eam in eſſe;igitur & Intellectus. Præterea,12 Diuinorum com.38.dicit.Forma Hominis in eo quod eſt Homo, non eſt niſi per continuationem cum Intellectu;igitur non Cogitatiua;quæ cum Intellectu cõtinuari non poteſt;eſt Forma dans eſſe;ſed Intellectus.Demùm nõ negaret Auerroes; quin in Hominis definitione ponatur rationale: Tunc: Quod in definitione alicuius rei non tanꝗ additamentum eſt ; eſſen-

tiam illius notat: Iamuerò rationale in ratione Hominis non tanq̃ additamentum apparet;sed per se (ut unà cum Porphirio Omnes fatentur) igitur rationale est de essẽtia Hominis;At rationale sumitur ab Intellectu;ergo Intellectus est Forma Hominis specifica,Informans,& non Assistens.

Reliquùm est modò (nè aliquod insolutum remaneat) ut Auerroistarum rationes, Formam Assistentem comprobantes, dissoluamus.

Erat prima ratio.Ea uirtus,quæ est à corpore separata sibi adiungitur,ut Assistens ; sic est Intellectus,igitur.&c.

Respõdeo,ꝙ Abstractio est in duplici differentia. Quædam est secundum inhærentiam,& informationem;hoc est, nèc inhæret materiæ quemadmodum Forma materialis;nec materiam Informat; & huiusmodi Abstractio competit Intelligentiis; quæ nèc orbi inhærent, nèc ipsum informant : Altera uerò est solùm secundum inhærentiam;non secundum informationem;idest, habet esse sine materia ; licet ipsi largiatur esse;Quæ Abstractio Intellectui competit ; qui etsi nõ sit uirtus corporea,est tamènvirtus corporis:Tunc ad rationem.Virtus Abstracta à corpore unitur sibi,ut motor: Ve-

ra hæc propositio, si uirtus utroq; modo Abstracta fuerit; si uno modò, uti Intellectus; falsa.

Ad Confirmationem. sequerentur duo absurda; ꝙ idem mouens & motum diceretur; & idem semetipsum reciperet.

Dico, ꝙ nèc Primùm, nèc Secundum incõueniens deduci potest: Non primum; quia dato ꝙ intellectus sit Forma materiæ; non tamen est forma materialis educta de potẽtia materiæ; et sic non mouetur à Forma materiali; sed à specie Intelligibili absque Materiæ conditionibus, & appenditiis. Et si concederem, ꝙ Intellectus esset Mouens, & Motus; quatenùs scilicèt eliciendo aliquẽ actum, moueat seipsum; Quid inde? Nèc sequitur Alterum, quia Intellectus non est forma materialis, nèc educta ex gremio materiæ; licet sit forma materiæ.

Ad secundam rationẽ. Quod per se existit non dat esse alteri secundum formam. Dico, primò, Quod per se existit, & pro se, (ut dictum est in prima sectione) non est forma dans esse; ut Angelus: Intellectus æquidèm per se existit, tamèn non pro se, quia informat. Dico ulteriùs, ꝙ uel consideratur Intellectus, ut una Intelligentiarum; & sic non dat esse; & per se existit: Vel ut Parti-

cula Aiæ;& hoc mō non exiſtit ſine corpore,ſed eſt forma eius:Intellectus enim(ut ſupra declaratū eſt)longè differt ab Anima.

Ad Tertiam rationem. Virtus infinita non poteſt uniri magnitudini finitæ.Finiti enim ad infinitum.Dicitur,ꝙ licet Intellectus quantùm ex ſe eſt,ſit infinitus; tamen reſpectu unionis eſt finitus: habet enim informationem finitam. Vlteriùs finitum non poteſt uniri Infinito;quando illud Infinitum nullam includat relationem ad finitum;quemadmodum Deus Optimus naturalitèr non poteſt uniri corpori, quia unde quaq; eſt infinitus:quando uerò habet habitudinem ad alterum;tunc Infinito non repugnat unio ad finitum.

Ad Quartam rationem. Non poſſunt eſſe duæ Formæ ſubſtantiales ultimæ in compoſito;At in Homine ante aduentum Intellectus,eſt Forma ſubſtātialis eius.Dico, quòd in compoſito non poſſunt eſſe plures Formæ ſubſtantiales completæ,& ultimæ;Modo Cogitatiua Auerrois non eſt forma cōpleta,& perfecta;(ut dicetur in ſequenti ſectione)nullum igitur hæc ratio ſortitur robur.

Erat Quinta ratio.Si Intellectus formaliter unitur corpori,aut illa unio eſt ſubſtan

tia Animæ, aut accidẽs: Respondeo, quod est accidens separabile ab Anima; licet non possit separari respectu Indiuidui: Ad illationem; igitur Intellectus per accidens in esse constitueret Hominem. Dicendùm, quod hoc non est inconueniens; quia illud accidens est in homine, tanquam causa sine quæ non; & hoc sufficit ad constituendum compositum secundum esse; ex gr. Forma substantialis ignis non potest constituere ignem absque caliditate; & tamèn caliditas non est de essentia ignis.

Ad Sextam rationem. Si intellectus esset substantia hominis; tunc corruptio eius nõ esset corruptio, sed alteratio; cùm non corrũpatur substantia: Respondeo Hominem corrumpi potest dupliciter Intelligi: Vel secũdum partes essentiales; Vel quatenùs ex illis resultat compositum, & hoc tertiũ; Tũc, licèt non corrumpatur Homo secundũ partes essentiales; quæ sicut nõ generantur, ità non corrumpuntur; Corrumpitur tamèn illud tertium; puta Homo; quia ampliùs (nisi equiuocè) Homo non est: & hoc sufficit ad corruptionem Hominis; non enim sic corrumpitur Homo propriè; quemadmodum alia; quorum Formæ substantiales, & generantur, & corrumpuntur.

Erat postrema ratio. Si substantialitèr esset Homini unitus Intellectus, tūc quælibet pars corporis Intelligeret. Huius rationis neganda est consequentia; Cum autem infert; ergo Manus, uel saltem Cerebrum intelligeret; Dico; quod cum Intelligere in sola Anima Intellectiua subiectiuè recipiatur; & hoc per organum sibi appropriatum; ideò nulla Hominis altera pars potest Intelligere. Ex quibus soluta apparēt leuissima Auerroistarum Argumenta; quibus falsissimam, &(ut ità loquar) Chimericam Auerrois Imaginationem tueri nitebātur. Hæc de Tertia Huius quæstionis sectione.

PENTELOGII,

FR. TREBATII MAREOCTI
De Penna, de Forma, Specifica Hominis,

Ad Illustrissimum & Reuerendissimum Cardinalem de Vrbino.

SECTIO QVARTA.

Quid pro ueritate, & ad Mentem Aristotelis sentiendum sit.

CVM in Aliorum explicandis, ac reiiciendis Opinionibus, superq; satis uersatus fuerim; nunc stabilis, et Aristoteli consona est aperienda sententia. Est autem hæc:

Anima Intellectiua. Homini per Vegetatiuum, & Sensitiuum in esse Animalis constituto; adueniens; idipsum completum, & ab Aliis specificè differentem, constituit; ità ut in Homine reperiatur ueluti dans esse, & non solùm operari (ut aduersa imaginatur opinio); Quam etsi clariùs, copioseuè

ſatis in Primaſectione probauerim; in præſenti tamen & Authoritatibus, & Rationibus eã corroborare,& ſtudebo;& uigilabo.

Et primò Authoritatem illam ſecundo de Anima 6.ſcriptam itero;ꝙ Anima eſt actus corporis,non quidem ſecundus.i.operans;ut omnes exponunt;ſed actus Primus: At actus Primi eſt dare eſſe;& non operari; igitur Anima Intellectiua; quæ & ipſa ſub communi definitione cõtinetur, erit Actus dãs eſſe,&nõ operari ſolũ.Deduco ego hãc propoſitionẽ ordine illo mirabili,quo uſus eſt Phyloſophus;tùm in inueniẽdo Animæ deffinitionem;tùm in declarando eam.Volens Ariſt. comunisſimam cuiuslibet Animæ Vegetatiuæ,ſenſitiuæ,& Intellectiuæ aſſignare rationem(ut inquit in tex.1. ſecundi de Anima) in ſubſtantiam, & Accidens ſecauit ens, ut colligeret in quo genere Anima ſit reponenda; & hoc in tex.2. Et cùm ſit in Genere ſubſtantiæ; ſubſtantiam ipſam in Materiam,formam, & compoſitũ partitus eſt; Materia eſt quæ perſe non eſt hoc aliquid, ſed potentia: Forma eſt ſecundum quã res dicitur hoc aliquid .i. Actus; Compoſitum uerò,quod,ex his conſtat; Statim in eodem contex.2.formam,ſeu Actum in Primum,&Secundum diuiſit: Actus Pri-

mus est ipsamet forma, uel(secundum Phylosophum)scientia. Actus secundus est operatio ,uel(ut dicit in tex.) speculari. Mòx in contex . 3. uolens Animæ differentiam colligere (omnis enim definitio ex genere constat,& differentia) corporum diuisioné posuit : Nàm cùm Anima sit Actus corporis, uidere est;cuius corporis actus?an Animati,uel Inanimati ? Rursùs,uolens inuestigare in qua parte substantiæ reponatur Anima; dixit in tex .4. Animam non esse Corpus;neq; Materiam;sed formam,&corporis Naturalis Actus : Et cum Actus(ut legitur in tex. 5.) in Primum&,Secundum distribuatur ; illicò in contex . 6 . Animam esse Actum Primum corporis ; qni dicitur esse forma illa , à qua(ut ferè omnes interpretantur) prouenit operatio ; determinauit. Ex,hoc itaq; Aristotelis discursu, infero;ꝙ Anima est substantia ; non Materia , neq; compositum ; sed forma, & actus , quæ est illa quæ dat esse rei; non quidem Actus secundus; sed Primus,vt contex.7.concludit:

(Si autem aliquid comune oportet dicere erit utiq; Actus Primus |) At huiusmodi Actus est substantialis , igitur Anima intellectiua, quæ sub hac deffinitione, & forma ab Aristotele diuisa continetur;est illa,

quæ

quæ dat eſſe rei Quarè; non ſolùm eſt forma Aſiſtens, ſeù operans; ſed primò eſt forma informans, & ſubſtantialis; à qua profluit operatio.

Nèc doctat; quod Quidam Recentiores dicunt, quod Animæ deffinitio data ab Ariſtotele ſit Equiuoca, uel Analoga; hoc è dicere, quod. Actus primus non dicitur de omni Anima, ſed dequadam. Abſurdum eſt hoc aſſerere; Primo quando omnes ferè expoſitores affirmant, hanc eſſe Animæ deffinitionem; deffinitio .n. quia explicat naturam deffiniti; omnem equiuocationē reiicit. Inſuper diminutus, & inſufficiens fuiſſet Ariſtoteles, non diuidendo iterum formam. Præterea, uniformiter procedit Ariſt. declarando ſuam deffinitionem de qualibet Anima; ut manifeſtè apparat in contex .ii, ſecundi de Anima; ubi concludens,& epilogans ea,quæ dicta ſunt,inquit. (Hæc igitur deffinita de Anima ſint,atq; deſcripta) Modo non tantum ſermonem habuit de Anima Vegetatiua,& ſenſitiua;ſed etiam intellectiua (ut in principio tex .ii. patet.

Secundo, eſt alia Ariſtotelis propoſitio ex 8.Meth.tex.16,collecta;ubi habet; quod Anima ità ſe habet ad corpus, ueluti figura

ad cuprum:& Albedo ad superficiem; Manifestum est autem,(ut patet intuenti locũ illum) quod loquitur etiam de Anima Intellectiua;igitur hæc erit forma in formas, & non tantum operans. Examino ego huiusmodi sententiam :Nam cupiens Aristoteles assignare rationem ; quare deffinitio in omnibus rebus sit una; Et quomodo cõpositum exMateria , & forma sit unum; dicit,quod non debemus considerare pluralitatem in composito , eam non distinguendo; tunc enim illa plura non possunt esse unum;Distinguens autem(hoc ut Materia, illud ut Forma;hoc quidem esse potentia, illud uerò actu) tunc ex pluribus fit unum, hoc est,superueniens illi potentiæ Actus, fit per se unum;nempè compositum;& id facit in contex. 15 .In tex. Decimo sexto , ostendens in quibus est definitio , & in quibus non;inquit. Illa uerò,quæ neq; Intelligibilem , neq; sensibilem habent materiam ; ut Mathematica,& Simplicia,ex se ũnum sũt, definitionem tamen non habent.Definitio enim(ut notat Cõmentator in Cõmentario)est compositorum : & ideò in istis non est aliqua alia causa à se,ut sint unũ : In his autem quæ sunt in materiis; Vnitas per formam accedit;idest Forma mediante Com

posita ex materia,& forma sunt unum,& aliquod ens. Rursus Volens nobis aperire; Quomodo Anima sit in corpore,ait, quod Anima est incorpore;sicut in Cupro figura, & Albedo in superficie: Certum est, quod loquitur etiam de Anima Intellectiua, dicit enim in tex,(Cognitio, quæ est per ueram scientiam, est per Animam) Modo scientia per ueram causam habita, prouenit ab Intellectu: Addo. sed forma est in cupro non per Assistentiam, sed per informationem; igitur,& Anima Intellectiua, non ut operans solùm; sed ut dans esse reperitur in corpore.

Altera Authoritas elicitur ab Aristotele 12.Meth.38.& DecimoMoralium cap.5. ubi affirmat,ꝙ Homo per Intellectiuã uim, cæteris Animalibus diuersitatem patitur in specie.Cui sententiæ 3. de Anima com. 1.astipulatus est Auerroes; Quare Homo p Intellectum,& non Cogitatiuam uirtutem habet esse.Perpendo consecutionem istam: Differentia,quæ non facit alteratum; sed aliud,diuidit Genus, (ut notat Porphyrius cap.de Differentia) & speciem constituit; nam Vltima Differẽtia;cum sit Forma rei, constituit rem in esse,ab aliis speciebus differentem;Actus enim est qui separat,& di-

ſtinguit;ut eſt locus Ariſtotelis 7.Diuinorū contex.49.loquitur autem de diſtinctione ſpecifica;ut patet percunctanti locum illū; & non(ut multi opinantur)de diſtinctione numerali; quoniam eodem libro tex. 28. clarisſimè dicit: Socrates, & Callias per materiam diſtinguntur. Verùm rationale non facit Alteratum.i. differre accidentaliter;quia tunc Homo per accidens Intelligeret,quod nullus niſi Mentis impos concederet;ſed facit Aliud;hoc eſt differre eſſentialitèr;igitùr rationale eſt Conſtitutiua ſpeciei Humanæ.Hoc demonſtratiuo diſcurſu; iſti ueritati ſe ſubſcripſit Thæmiſtius 3. de Anima cap.27.2.de Anima cap.8.& ſubtilis Doctor 4.libro Thæologicarum ſpeculationum.diſt.43.quæſt.2.propoſitione ſecunda,& Beatus Doctor Part.1.ſum. quæſt.76. art.1.& lib.2.contra Gentiles cap.70.&omnes Latini Interpretes hoc idem confirmauère.

At reſponderēt Auerroiſtæ,ꝙ Homo per rationale,ſeù per Intellectum à cæteris ſpeciebus diſtinguitur ratione operationum, tamq̃ per Principium operās Intrinſecum: ſed ratione ſubſtantiæ, & ſpeciei nequaq̃: Non enim eſt per Cogitatiuam uirtutem; adeò ut duas in Homine conſtituunt For-

mas ſpecificas;reſpectù ſpeciei unam;reſpectù operationum Alteram;& utraq; diuerſimodè differre facit.

Sed hæc reſponſio meo iudicio eſt falſa. Primò,Vnius ſpeciei unica Forma ſpecifica;ſed Homo ſiuè per Cogitatiuam, ſiuè p Intellectiuam uim in eſſe conſtituatur, eſt unus ſpecie; igitùr unam Formam retinet ſpecificam:

Obuiat concurrens;q eſt unus ſpecie ſubſtantialitèr,& unam formam habet ſubſtantialem, nempè Cogitatricem; & cum hoc non inconuenit,ut ſub alio reſpectù. ſ. ſub ratione operationum aliam cõtineat eſſentialem Formam:

Contra,dans eſſe;dat & conſequentia eſſe;quod enim dat principale, dat acceſſorium: Si igitùr Homo habet eſſe Formale per Cogitatiuam,ſeù Phantaſiam; per eandem debet habere operationem; operatio etenim inſequitur eſſe; & Forma dans eſſe dat ſimul motum,&operationem;ſuperflua igitur erit Forma Intellectiua:At iſta eſt in Homine admodùm neceſſaria;igitur aduenit ſibi,non ſolùm dans operari, ſed eſſe. Ad q̃d multiplicãda entia ſine necesſitate? Ampliùs. ſi Virtus Intellectiua adueniret Homini in eſſe ſpeciei conſtituto,&in actu

ultimò,& completo existenti; tunc ipsi ipsa accideret; Quod enim aduenit enti in actu specifico, Accidens est; & ulteriùs ex Homine,& Intellectu unum per accidens fieret. Quid hoc dicto incõuenientiùs? Duæ itaq;, Vna in esse; & in operari Altera, nèc sunt ponendæ in Homine species; imò nèc opinandæ.

Verùm, diceret Aduersarius; q̃ & si Homo secundum esse substantiale in actu reperiatur; est tamèn in potentia ad operari; nõ enim sine Intellectu actiones exercere ualuerit: non igitur aduenit enti in actu; nec ex consequenti fit unum per Accidens.

Leuis quidem est solutio; nàm etiam Paries est in posse ad Albedinis receptionem; tamèn quia paries est in esse substantiæ Finito, ideò dicitur, q̃ ex pariete,& Albedine fit unum per accidens: Præterea Tullius, & Crispitudo sua est unum per accidens; eo quod Crispitudo illa aduenit enti completo,& existenti in actu: Non sic existimandũ est de Anima Intellectiua,& Homine; igitùr Homo nõ est Homo, nisi per Intellectũ. Insuper si hæc Cogitatrix Virtus (ut inquit) tribueret esse,& nõ operari; tunc nobilior, & præstantior esset Sensitiua Bruti Sensitiua Hominis. Bruto enim non modo esse, sed

insimul,& operari largitur, & donat: Illa nanq; Forma,quæ plures includit perfectionis gradus,nobilior est altera Forma, id nō includente:Sed Extimatrix; & esse,& operari perfectionem retinet; quā Cogitatrix nequaq̄ possidet:igitùr illa præstātior ista; Igitùr Brutum, cui Extimatrix competit; nobilius est in specie Homine. Somniabat itaq; Auerroes, dùm huic sententiæ assensus fuerit;& ut posteros in risum carperet, literis mandauit.

Confirmo modò positionem ueram tribus Peripateticis rationibus; ne ueritatem tuendo;argumentorum Congerie abundare uidear.

Et primò,illud firmissimum; quod Aristoteles,& Comentator Tertio de Cælo, & Mundo contex.ult.iecerunt,mihi assummo fundamentum;ubi scribunt; Operationes, rerum Differētias;quæ earum Formæ sunt; consequi;nàm opus proprium semper à propria Forma emanat;testimonio Aristotelis x.Meth.in fine;ut Quarè lapis tendit deorsùm?quia grauitatem habet: Grauitas est ratio intrinseca;ut lapis ad centrum descēdat.Tunç facio hunçdiscursum.

Illa dicitur specifica alicuius rei Forma; qua res illa operatiuo munere fungitur

At Homo suum opus: quod est Intelligere, & ratiocinari; per Intellectum complet; Intellectus igitur est Forma specifica eius; per quem; tanq̃ per intimiorem eius Formam in essendo, ab Animabus Irrationaliũ specie differt. Pars minoris media, ꝙ. s. Humana operatio sit Intelligere) ex eò euidẽs est; quod Aristoteles x. Ethicorum cap. 9. docet; ubi Hominis fælicitatem in propria eius operatione deprehendi iubet: Quam inuestigans ait, (Speculatio Primæ causæ, seu causam superiorem Intelligere). Hoc idem, Prologo primi phys. astruit Auerroes; ubi annuere uidetur; ꝙ Hominis esse in sua ultima perfectione; est esse per scientias speculatiuas perfectum; quæ per discursum, & Intelligere habentur. & 5. de Gen. Anim. cap. 7. & primo Politicorum dicunt; ꝙ Homo solus Animalium utitur ratione: Tota autem Minor; quòd Homo per Intellectum Intelligat, est Aristotelis, & Comentatoris 3. de Anima, primo; secundo de Anima 17. Habent ibi; quòd Anima est principium quo uiuimus, sentimus, & Intelligimus primò: Vltimùm hoc nõ potest de Vegetatiuo, & Sensitiuo Intelligi; sed de Intellectiuo: & hinc indè pluribus in locis inquiunt; quòd sicuti Animal uiuit, & per A-

nimam sentit; ità Homo per Intellectum Intelligit;Minor itaq; patet tota.

Confirmo rationem(hac hypothesi coniecta)quòd Passio Animæ sentientis, Animal in perfectiori gradu uite;uita ipsa sensitiua;minimè ponit;nihil enim ultra Phãtasiam,Cogitatiuam, & Memoriam attingere ualet;sicuti nèc Vegetatiua, ulteriorẽ uitæ gradum,q̃ sit Nutritiua,Augumentatiua,& Generatiua,Plante ipsi coaddit,tunc sic.Homo perfectissimum uitæ gradum habet,q̃ sensitiua donet;hoc est Vitæ Intellectiuæ; ut patet secundo de Anima contex. 13.Hac præstãtissima Vita Cogitatiuæ Virtuti superaddita,uiuit Homo:Quarè Intellectus dat Homini uiuere suum, ad quod haud peruenire potest Cogitatrix:Nulla.n. uirtus Inferior alienum munus, (ut suum) attingit:Vltima itaq; Hominis Forma dãs esse est Intellectus.

Corroboro magis;assumẽdo illud, quod habet Arist. 2. de Anima x. quòd operatio uitæ se habet ad Animam, sicut Actus secũdus,ad Actum primum; In quo enim est Actus secundus, reperitur & Primus; nam ubi est considerare, & intelligere; ibi est scientia,uèl Habitus: sic in quo est aliqua operatio Vitæ;in eo est aliqua consideran

da pars,quæ illi operationi,sicut Actus primus secundo comparetur:Tùc facio sic. In Homine propria operatio; quæ est intelligere,& ratiocinari(ut scribitur in Ethicis) deprehēditur;igitur in eodem aliquod debet reperiri principium dans esse: quod se habeat ad Intelligere,sicut actus primus ad secundum:Huiusmodi non potest esse Cogitatiua uel Phantasia;quia est corruptibilis, & mixta,& a corpore separabilis: operatio autem Hominis propria est incorruptibilis,& immixta,(ut 3.libro de Anima appa ret) Fieri igitur non potest, Hominem per Cogitatiuam,nomen speciei sortiri; & per eandem ab Animalibus distingui;Sed hoc per Intellectum nanciscitur; ideò, & ipsæ Forma substantialis dans esse Primò, &indè operari erit.Non uideo herclè; quomodò Auerroes;& Sequaces inuenire ualeant modum;ut ista propria operatio; nempè Intelligere,sit huius hominis actio;experitur enim unusquisq; nostrum seipsum esse, qui Intelligit:Competit autem alicui motus,siue operatio tripliciter;ut primo tex. Tertii phys.scribit Arist. Dicitur enim aliquid agere,uel operari; Aùt secundum totum,sicut medicus sanat, & ædificator ædificat; Aùt secundum partem, ut Homo uidet per

oculum, homo ſanatur, quia Thorax, uel manus ſanatur: Aùt peraccidens, ut Album ædificat, & Muſicus legit; accidit enim ædificatori eſſe album, & legenti muſicum: Cum igitùr dicimus; huncHominem Intelligere, & ſuam exercere operationem; aùt hæc actio ineſt ei per accidens; aùt ſecundum totum, ut dicebat Plato, ꝙ Homo eſt tota Anima Intellectiua, aut competit ei ſecundū partem; hoc eſt, ꝙ Intellectus ſit pars Hominis: Non eſt dicendum Primum, quia intelligere attribuitur Homini inquantnm eſt Homo: Non affirmandum ſecundum; quia ipſe idem Homo percipit ſe intelligere, & ſentire; ſentit ſecundùm corpus; ideò non poteſt ſecundum idem Intelligere; Intelligere enim, & ſentire maximè differunt: Vel tunc quælibet corporis pars intelligeret, quod eſt falſum. Reſtat igitur, ꝙ iſte Homo intelligat ſecundum partem; & ꝙ Intellectus ſit pars Hominis; &non aduenieus ipſi, ut Motor Mobili.

Secunda Principalis ratio nonnulla aperienda ſupponit. Primò, ꝙ omnes Peripatetici in hoc aſſentire uidetur; ꝙ Homo (ut ſcribit Ariſtoteles ſecundo Moralium ad Eudemum cap. 7.) ſeipſum mouet; & ità ſuas diſponit actiones; ut quando operatur, eſt

ſuarum operationũ dominus; alioquin uoluntatem non haberet: Harum autèm operationum; Quædã ſunt uniuerſales; & Quædam Particulares, ſed hæ in Vniuerſalibus contineri debent: Nàm anteq̃ alicuius rei particularis fiat concluſio, uniuerſale principium proponi opere precium eſt; ex ſingularibus enim (ut in Prioribus) nulla ſequitur ratio: ut liceat uti exemplo; Omne bonum eſt eligendum; Iſtæ cibus bonus eſt, eligendus igitùr eſt. Eccè, q̃ ex uniuerſali prima, concluditur particularis ultima. Illa autèm huius Argumentationis potior pars in Mente fundatur: Minor uerò, & quæ ex his pendet concluſio, in Phantaſia reperitur: Et quemadmodum in ſola Mente eſt uniuerſalis regula ad iudicandum bonum; ità & in eadem eſt ad eligendum ſola uoluntas: At in Phantaſia, ſolùm Iudicium particulare, & appetitus iſtæ reperitur. Inſuper quando, & ipſi, Hominem ipſùm, & mouere affirmant; non ſolummodo Mentem, nèc Corpus, ſeù Animal ſeorsùm concipiunt; tunc enim non moueretur Homo; ſed ambo ſimul, & unitè accipiunt: Itaq;, ſi una Corpus, & Anima ſpeciem, & Perſonã efficiunt Humanam, Mens utiq;, & Intellectus erit Forma Viuifica corporis. Sin autèm; nihil

in Homine reperiretur;quo liberè moueat seipsum:tunc quoq; Mens Cogitatiuæ Virtuti propinqua, Animal ad motũ cogeret; ueluti, & lapis sursùm à iacente immissus cum uiolentia mouetur;& ità libertatis nomen in Homine deficeret, si Mens solùm assisteret.Ex his elicio hanc rationem.Omne quod liberè mouetur,a Forma sua Naturali,& essentiali; non ab Assistente mouetur; tunc enim non liberè a sè,sed ab Alio moueretur : Atqui seipsum Homo liberè mouet;quia suis operibus dominatur; igitur à sua Forma substantiali : Sed Intellectus,& Mens Animali cõiuncta mouet Hominem,non solùm ad uniuersalia Intelligẽdum,sed & particularia:Nam si Cogitatrix non modò non sentit,sed & Elementorum motus,& actiones peragit, multò magis & Intellectiua: Non igitùr Intelligere tãtùm potest;uerùm & sentire,& alere; dummodo non desit spiritus,in quo sensibilium Imagines elucescàt: Quod nanq; potest Inferius nobiliori modo potest & superius:Cum uerò sensus Insensibilia non attingat, nèc cõmunius quoddam in genere sensibilium pcipiat;& Phantasia;seu Cogitatiua ignoret Vniuersalia;Ideò Intellectus, & Vniuersalia,& Singularia apprehendat;necesse est:

Vndè erit Forma naturalis,& ſubſtantialis Hominis.

Confirmatur(ſuppoſito in Homine libertatis nomine)In his;quæ liberè ſe mouent, eandem ſubſtantiam,quæ perſuadeat,&moueat;& quæ perſuadeatur, & moueatur eſſe oportet;alioquin uel libertatis nomẽ erit inane;uèl hæc libertas erit ſine conſilio, & uoluntate:tam hoc,q̃ illud falſum eſt: Falſum primum,quia tùnc aliquid in Natura ocioſum erit; quod Ariſtoteli ſecundo de partibus Animalium cap. 13. & 3. de Anima 45. nõ eſt cõſonum:Natura enim nihil fruſtra facit:Falſum Alterum,quia libertas unam,& eandem naturam, & uoluntatem importat:igitùr cum Homo moueat ſe ipſum liberè,Intellectus erit Forma ſubſtantialis eius.

Sed poſſet contradicere Aduerſarius; ꝙ Intellectus mouet Hominem Natura,&Voluntate,ideò dicitur Homo ſuarum operationum dominus;quia Mens liberè eũ mouet;& Homo reſpectu operationum ab Anima Intellectiua denominationem habet; ſed non propter hoc ſequitur, ꝙ ſit Forma ſubſtantialis eius.

Contra,ſi Intellectus natura mouet Hominem;tùnc ſemper,& eodem modo moue

bit;quemadmodum Intelligentia orbem ; quæ suapte natura mouet ipsum: At nos oppositum experimur;non enim semper mouet Intellectus;nec semper dat nobis intelligere,ut manifestum est in somno;nec semper eodem modo mouet;igitur sua natura non mouet Intellectus. Si uero moueat uoluntate;scifcitor;Aut per illam cogitHominem ad operationes;Aut persuadet: Non compellit,quia minime tunc liber erit: si persuadet,Interogo;quonam pacto Homo cum Cogitatrici sua persuasionem illam acciperet? Dato,ꝙ Vniuersalis sit ea suasio; ad quam nisi per Intelligētiam suam haud peruenire potest:Apparet itaq; Intelligentiam esse Homini propriam,& consequenter Intellectus,ex quo prouenit Intelligere, sit Forma Formalis eius.

Accedit,uel Mens Hominis mouet idipsum per naturalem coniunctionem substātiæMentis cum substantia corporis;uel per Imperium solùm: Non uidetur solo Imperio hoc facere posse:tūc enim si faceret, vel Persuadendo;uel Phantasiæ præcipiendo, ut.s.moueat corporis membra, quia & ipsa mouebit,dummodo consenserit: Sed hoc minime stare potest; nam sæpenumero uidemus Intellectum corpus agitare, & mo-

nere;contra Phãtaſiæ,ſenſusq; deſiderium: Mouet itaq; Hominem per naturalem ſubſtantiæ ſuæ cum eo coniunctionem. Rursùs, ſi præter Phantaſiæ inſtinctum,&inclinationem Mens mouet Corpus,& idipſum ſiſtit, eo ordine,quo Phãtaſia mouet;& id intrinſecus facit,ſicut & ipſa facit;Quis non iudicabit Cogitatiuam ſuperfluam eſſe? cũ iſta ab operibus ſuis ceſſet,& illa eius opera uſurpet: Quid igitur opus eſt nobis geminis Animab.(cùm una ſufficiat) Intellectuali,& cogitatricè? Non minùs intelligit Intellectus,& ſentit;ut Cogitatiua ſenſit,& alit:imò alit etiam Intellectus. Quarè ſuperuacanea è Cogitatrix,& neceſſarius ad eſſe Intellectus.

Poſtremò ad principale, ſumo hoc tertium Argumentum ex parte finalis Hominis perfectionis;uti Primùm ex parte Intellectus;& ſecundum ex parte uoluntatis deſumptum eſt:& ſuppono illud,quòd habet Ariſt.9.Ethicorum, ꝙ fælicitas formalitèr ineſt fælici;& ſpeculatio ſpeculanti;ſicut uiſio formaliter ineſt uidenti:& x.Moralium Nicomachiorum cap.9. aſſerit, ꝙ fælicitas Hominis conſiſtit in operatione intelligendi:Hoc ſuppoſito facio ſic: Fælicitas formalitèr ineſt Homini,ſed fælicitas in intellige

re

re consistit, igitùr intelligere formalitèr in est Homini: At talis operatio formalitèr est in Intellectu, ergo intellectus formalitèr est in Homine, & perconsequēs est forma eius.

Corroboratur ratio: Nàm Mobile nō generatur per applicationem, & per aduentū Motoris ad ipsum: Mobile enim priùs naturalitèr generatur, q̃ Motor; nèc corrumpitur per separationem Motoris ab ipso: ut manifestum est de Nauta, & Naui: Nauis nō fit, neq; perit per ingressum, & egressū Nautæ. Si modò Intellectus per Assistentiam in esset Homini, in eius ingressu nihil noui generaretur, nec in eius egressu Homo corrūperetur: Quod experientia negat: Penitùs itaq; negandum est; Intellectum Humano corpori solùm assistere, & non dare esse.

Resipiscant quæsò quandoq; Auerroici; & cum Aristotele suo consentiant; affirmantes Animam rationalem esse formam Hominis specificam: Nonnè Aristoteles hoc pluribus in locis asseuerat? Maximè: Nàm quando dicit in secundo de Animastica facultate, Animal uiuere, & per Animam sentire: & Hominem per Intellectum intelligere, concludit Intellectum esse Hominis Formam; æquè ac Animalis Animam: Hinc 3. de Anima primo, Intellectum esse illam par

tem;qua Homo sapit,&intelligit,sententiã protulit. Itèm secundo de Anima contex. 5.dixit:Animam esse Actum corporis,&nedùm de Vegetabili,Sensibili,Mobili;sed & de Intelligibili locutus est.Rursùs, eodem libro, Anima est principium,quo uiuimus, sentimus,&Intelligimus primò:Ex his duabus Animæ definitionibus intentum quasi per syllogismum concludit: Cùm syllogismus ex æquiuocis terminis (ut in Priorib. Analiticorum habetur)minimè cõflari debeat;opere preciũ est,ut illa dictio (Actus) idèm in qualibetAnima significet.i.Formã, & Actum naturalem; ut ipsæ in diuisione substantiæ in Materiam.s. Formam,& compositum testatus est;dixitq; Animam illam esse Formam;quæ est altera pars compositi,ac ipsum in esse ponit.Commendauit insuper eos inter cæteros,qui (ut scribit primo de Anima)Animam non esse corporeã, sed aliquid Corporis.i.actum,opinabãtur: Hinc tertio de Anima contex.36.dixit, Cũ Intellectus non sit à corpore separatus.i.secundum esse;uidendum est; Vtrum separatas Intelligere possit Formas?In libro quoquè 12 Diuinorum 38.negat Formas materiis suis præcedere; sed sequi eas affirmat; quod non habet,nisi de Anima Intellecti-

ua Intelligi;ideò ostendit clarè; Intellectũ esse corporis Formam,cum corpore incipere;non tamen finire cum eo. Euidentissimè; etiam secundo phys.26.idem aperuit; dum dixit Animam esse Formam Hominis naturalem,à materia separatam, materiæ coniunctam:Coniunctam quidem;quia terminus generationis Hominis; separatam uerò,quia Immixta,& Intelligentia; omne enim immixtum Intelligentiam esse sentit; Quarè,ut actus informans,& non Assistens aduenit corpori:Alioquin dixerim ego Auerroem Interrogando: Intellectus dùm in nobis intelligit:An imperfectior fiat,an pfectior,uel potius horum neutrum? Non dicendum Tertium;quia hæc perpetua motio inanis erit, nihil unq̃ in operatione perficiens;quod esse non potest; motus enim ad indifferentes terminos non conceditur: Nèc dicendum secundum, ꝙ operando perficiatur;quia semper à corpore, uel à sensibilibus simulachris dependebit: Quod nãquè imperfectum est, semper à perfectiori perficitur:Neq; est asserendum Primum; ꝙ scilicet Imperfectior euadat; quia tunc, qđ præstantius est inficeretur; Quod nec Auerroes permictit,(ut 12.Meth.loquitur, de separatis Mentibus disputans) ꝙ uilesceret

Intellectus si hæc infæra cognosceret, & intelligeret: Quàpropter ad Aristotelis aures, cum Intellectus sit Quædam tabula rasa; corpori unitùr substantiam suam substātiæ illius copulando, ac ipsi esse specificum condonando.

Reliquùm est modo, ut subtilissimæ rationes cuiusdam recentioris Philosophi, & Accuratissimi Medici, aduersus determinatam iàm ueritatem militantes adducantur; & nostro ueritatis iaculo infringātur; Quæ etsi apud eum Achillidem contineāt uim; apud nos tamen Paridis, seù Hectoris uiribus erunt conculcatæ.

Cæterùm anteq̃ Argumenta hæc literis consignantur; unam de Formis ab Acutissimis, subtilissimisq; Philosophis adductam; de Peripatetica doctrina abstractam; assigno, & conscribo distinctionem: Quà facilius, non modo Argumentationes describendæ ruent; uerum (ut ità loquar) si mille, & millenariæ essent ad nihilum penitùs redigerentur.

Distinctio ē hæc: Forma naturalitèr Informans secundum Naturalium dogmata est duplex. Vna est Materialis, uel educta de potentia materiæ, uel (ut dicitur) Forma Informans, constituens subiectum, & in esse

constituta per ipsum: Huiusmodi Forma est semper cum formato; simul oritur, & interit cum eo; generabilis quidem, & corruptibilis; & à materia inseparabilis. Altera uerò est Forma Immaterialis, non educta, constituens subiectum, & non constituta: Hæc Forma deforis uenit; ingenerabilis, & incorruptibilis; & à materia separabilis; Quemadmodùm est ultima Forma Hominis, ut hic, uel illæ, & illæ Intellectus.

Nè Auerroicus derideat, & hanc dissimulet distinctionem; eam ad mentem Aristotelis, & Magistri sui Auerrois Probo: De Forma primo modo accepta nulla est ambiguitas; nèc hanc Aduersarius negaret: De qua loquitur Arist. 7. Diuinorum contex. 31. ubi scribit, Formam materialem à materia auferri imposs ibile est. Rursùs 4. phy. 16. & alibi, inquit; ꝙ Forma in Naturalib. à materia minimè separari potest. Idem affirmat Auerroes 7. Meth. com. 37. & Primo Diui. 33. Formas remanere; & res, quorum sunt Formæ deficere, fieri non potest. Præterea 3. de Anima. 9. & alibi. Forma non denudatur à materia: sed semper intelligitur cum ea, sicut simitas in naso.

Quòd autem detur Forma Abstracta, materiam informans; præter Rationes, & Au-

thoritates Aristotelis, & Commentatoris superius positas; nunc, & per Aristotelem, & per Commentatorem corroboro. Phylosophus 8. Diu. cap. 4. uolens ostendere; quod nam sit nomine dignius, an Forma, uel cõpositum ex materia; & forma? In contex. 7. præmittit hanc propositionem; ꝙ oportet nos scire: Vtrum nomina rerum significent substantias ex materia, & forma compositas, uel formam tantùm? & ultimò loco hoc exemplum de Animali induxit; Nam quando nos dicimus Animal; An significet Animam in corpore, uel Animam solum? Concludit: Hæc enim (scilicet Anima) est substãtia, & Actus corporis: & insequens institutum suum, inquit in tex. 8. Hanc substantiã necesse est; aut sempiternam esse; aut corruptibilem; hanc inseparabilem, (ut de Forma Domus, & Vasis exemplificat) Illam uerò separari, nondum est manifestum. Manifestatur autem 3. libro de Anima contex. 19. & 20. in quibus clarè apparet; ꝙ Aristoteles sub ea Forma; quæ est substantia, & Actus corporis, ponat etiam Intellectum esse Formam Abstractam, & non eductam: Quarè apud Aristotelem datur Forma nõ educta; quæ est substantia, & Actus corporis. Similiter secundo libro phys. 26. affirmat, ꝙ

Naturalis habet conſiderare Formas Ab-ſtractas uſq; ad quendam terminum; ut.ſ. ſunt in Compoſito; Quid autem ſint,&quo modo ſeparētur ſpectat ad Diuinum. Addo Minorem;ſed forma Naturalis naturaliter conſiderata dum eſt in materia,eſt eſſe materiæ,igitur datur forma materiæ Abſtracta.Hoc idem diſputat Auerroes libro Deſtr.Deſtr.Diſp.xi.ubi concludit hanc diuiſionem; ꝙ in Natura aliquæ formæ ſunt magis propinquæ Actui,&a potentia remotæ:Aliæ uerò Potentiæ propinquæ,& ab Actu remotæ;hæc materiales: illæ uerò immixtæ:quoniam iſtæ ſunt magis remotæ a paſſionibus,q̃ illæ: Et inter has formas(inquit) inuenerunt Aliqui Animam immunem præ cæteris à materia; & præcipuè Intellectum; quoniã eſt immixtus, & impaſſibilis;igitur ſecundum Auerroem inter formas naturales datur forma Abſtracta,& ſeparabilis.Modo forma naturalis:quæ eſt in materia,eſt actus,& ſubſtantia materiæ:igitùr datur forma informans non educta de potentia materiæ. Quicquid dicant Moderniores,qui totis uiribus hanc diſtinctionem diſtruère conantur.Qua poſita diſtinctione tùm ad mentem ſubtilium, tùm Ariſtotelis,& Auerrois; Supereſt,ut Nouem op

pugnationes contra ueritatem debellantes aliquo laboris munere expugnemus.

PENTELOGII,

FR. TREBATII MAREOCTI De Penna, de Forma, Specifica Hominis,

Ad Illustrissimum & Reuerendissimum Cardinalem de Vrbino.

SECTIO QVINTA.

Solutiones nouem Rationum recentioris Phylosophi adducuntur.

ADuersùs determiuationem factam, insurgit quidã Excellens Doctor; qui Nouẽ Rationibus Auerroem suũ defensare conatur; Positionem nostram omninò destruere cupiens: Attamen (ut apparebit) rationes non concludunt.

Prima itaq; eius Ratio, fundatur super Authoritatem Arist. 12. Meth. tex. 16. & 17.

quæ est: Ea quæ est ratio, est simul cum formato: Addit aliam propositionem; Intellectui non repugnat remanere; tunc format rationem hunc in modum.

Cui non repugnat remanere non est forma.

Nil repugnat Intellectui remanere post dissolutionem compositi; igitùr Intellectus non est forma Hominis. Tota ratio patet ex supposito.

Confirmat ex eodem contextu: Si Anima Intellectiua est forma Informans, ergo simùl incipit cum Homine; quia forma est simùl cum formato. Tunc; Si forma simùl incipit, igitùr per motum, & generationem incipit; ex 8. phys. tex. 4. & 5. Vbi uolens Aristoteles probare æternitatem Motus, & Mobilis; dicit; si de nouo inceperunt, igitùr per motum, & generationem.

Statim occurrit responsioni cuiusdam Doctissimi Baccal. dicentis Animam incipere per creationem: Non ualet (inquit ipsæ) quia paritèr dicam ego Aristoteli: Motus, & Mobile inceperunt per creationem, & non per motum: Tum quia Arist. creationem non admittit: Tùm quia ex primo Cæli à tex. 112. infra; inquit: si Anima Intellectiua est forma dans esse, simùl incipit; si-

mul incipit,ergo genita;genita igitùr corruptibilis;quod falſum eſt:Probat conſequẽtiam,quia Genitum,& corruptum conuertuntur;ſicut ingenitum,& incorruptum.

Illicò obuiauit eidem Reſpondenti ; qui dixit,ꝙ Ariſtoteles loquitur ibi de genitis per tranſmutationem , & non per creationem:Nèc hoc(ait)quoniam Ariſtoteles declarat;ꝙ per Ingenitum intelligit illud, qđ eſt ſemper ens ; & tale eſt æternum a parte ante , & poſt:per Genitum uerò Intelligit quod incipit,& non eſt ſemper; ut inde colligatur , Æternum a parte poſt eſſe etiam æternum a parte ante ; ut etiam 8.phyſ.5. patet. ſi igitùr Intellectus incipit,ergo non fuit ſemper ens;ergo genitus: At hoc eſt ſalſum;igitur non eſt forma Informans. Argumentum Hoc;ſicut & cætera ſunt de papyro in papyrum fidelisſimè conſcripta.

Dicẽdum,ꝙ hæc ratio peccat in Forma; in Fundamento,& in Materia.

Primò,in Forma; quoniam tota negatiua;ex negatiuis enim(ut Ariſtoteles in lib. Priorum docet)non concludit ratio.

Secundò peccat in Fundamento ; nam Ariſt.eo in loco non loquitur de qualibet forma dante eſſe;ſed de ea,quæ ex gremio materiæ educitur;cuiuſmodi non eſt Intel-

lectus: Quod hoc ità sit;patet in exemplis in eo contex.adductis; & in continuatione textus 17.Exemplificat.n.de sanitate,&Homine;& de Forma sphæræ Æneæ;quæ materialitèr recipiuntur in materia,oriuntur,& occidunt cum ea; ideò semper ratio est cũ formato;de illa.s.ratione, quæ est per subiectum constituta: At cum Intellectus non sit materialis ratio,& materialitèr in materia recepta ; minimè necesse est,ut simpliciter sit simùl cum formato,& secundum generationem,& secundum corruptionem.

Peccat deinde in Materia: Compertum est enim ꝙ ità Intellectus est in Homine; sicut,& cæteræ formæ in formato: Quemadmodum non potest esse hæc materialis forma sine hoc materiali composito,ità & Intellectus(dum Hominem Informat ; & sub hac conditione;ut Anima est; & ut à Naturali consideratur) non potest esse sine Homine,& absq; formato;licèt sub alia conditione;ut Intellectus simplicitèr, & quiditatiuè;& ut sub Metaphysica consideratione cadit,sine formato existere possit:Ideò concedo Authoritatem;ꝙ forma non possit esse absq; Formato,& ꝙ consequentia Formæ ad Formatum sit necessaria: Cum autem Infert:Intellectui non repugnat remanere ; I-

mò ſic,modò ut Forma Hominis conſideretur;corrumpitur enim Intellectus; ideſt informatio hæc;ad corruptionem compoſiti,& corporis,cuius erat actus. Hæc eſt una ſolutio.

Vel alitèr dicendum eſt ad Fundamentum.Ratio eſt ſimùl cum formato : Aut ly (ſimul)reſpicit primum eſſe formati;ipſum eſſe,& ultimum eſſe coniunctim,hoc eſt, generationem;exiſtentiam;& corruptionem. Aùt reſpicit hæc ſeparatim.i.aùt generationem;aut exiſtentiam;aùt corruptionem. In aliquibus,ratio eſt ſimùl cum formato omnibus modis;ut in Artefactis, in Alterabilibus,& in quibuſdam naturalibus:In generatione autem nihil prohibet eſſe formam ſine formato;nō enim generatur Forma;nèc Materia 12 Diui.12.ſed generatur compoſitum,& formatum:Nèc in corruptione, qa aliquando datur materia propria ſine forma propria;ut patet in Homine mortuo; remanet enim eadem materia numero,&idē corpus,ut in uiuente; & tamèn non eadem Forma,ſiuè ſit Intellectus, ſiuè Cogitatiua : undè ly ſimùl uniuerſalitèr habet Intelligi in exiſtentia;& hoc modo non poteſt exiſtere Formatum ſine Forma;&ratio eſt ſemper cum eo,cuius eſt ratio: Iam uerò Intel-

lectus(ut ratio,& Forma Hominis)non potest sine Formato, & sine Homine existere, licet ut Intelligens;& ut Intelligentia, ualeat:Et ideò inquit Arist.in tex.17.12. Diuin.Si aliquid posteriùs permanet considerandum est;in quibusdam enim nihil prohibet,ueluti si Anima tale sit,non omnis, sed Intellectus : Ex his contra Arguentem reflecto Argumentum.

Illa dicitur propria forma, quæ semper existit cum Formato.

Sed Anima Intellectiua(ut hæc) semper est cum Homine; igitur Anima Intellectiua est Forma Hominis.

Ad Confirmationem ; si Anima Intellectiua est Forma informans ergo simùl incipit cum corpore,igitùr Generab. Dico primò,ꝙ hæc consequentia in uia Aristotelis est nulla;quoniam non Forma incipit esse, sed cōpositum: Si enim hæc sequela admitteretur textus 23.26.27.& 31. Septimi Meth.ruerent;pariter & tex.12.Duodecimi:ubi asserit,ꝙ nèc Materia, nèc Forma generatur;sed quod ex his congregatur.i. Compositum:si igitùr Forma inciperet(intero ut ipsæ)ergo per Motum,& Generationem, ergo Forma esset cum composito generabilis;& ideò reflecto hunc inferendi modum

(precipuè de Forma loquendo) contra ipsum: Quia Anima Intellectiua non incipit esse cum Homine; & Homo est quid aggregatum ex corpore, & Anima Intellectiua, igitur Anima hæc est Forma informans.

O, Aristoteles utitur hoc argumentandi modo; quando uult probare æternitatem Motus, & Mobilis: Si de nouo Inceperunt ergo per motum, & transmutationem: Dico ꝙ tantùm distat consequentia Aristotelis ab hac, quantum uerum a falso: Aristoteles enim de Mobili; quod est compositum ex mouente, & motu loquitur; & non de Forma.

Respondeo modo ad Materiam; Animam Intellectiuam incipere, stat duobus modis: Vèl secundùm essentiam, & existentiam: Vèl secundum informationem: Anima nō incipit secundum esse, & existentiam; quia est a materia abstracta, & non educta; non enim est corpus nèc uirtus in corpore: illa dicuntur incipere secundum existentiam, quæ motui, & generationi subiacent: De hoc incipere uerba facit Arist. 8. phys. 4. & 5. & primo de Cælo 112. Sed Anima Intellectiua incipit secundùm informationem; nā organizato corpore; & materia præuiis dispositionibus præparata, Intellectus acce

dit,& informare incipit;atq; in corpore operari;ideò non ob hoc sequitur,igitùr simpliciter per motum, & generationem incipit.

Nèc ualet obiectio sua contra Reuerendum illum Baccalaureum; qui nedùm secũdum Theologicam ueritatẽ (eramus enim in Agro sanctæ fidæi, dum hanc dubitationem aggressi fuimus;ideò uerè respondens dixit,Animam incipere secundum creationem)uerum etiam & Peripateticè locutus est:Non enim repugnat Aristoteli (ut ipsæ imaginatur)creatio;Imò & in uia eius; & ferè omnium rectè Phylosophantium creationem ipsam affirmo,& tueor.

Et nè in somniis sim,&(ut uulgò fertur). Loquar ad montes; aliquorum Phylosophorum Authoritates, & Aristotelis, & Auerrois fundamenta afferam.Auicennas,Algazeles,Plato,Proculus,Mercurius, & Orphæus pluribus in locis creationem confessi fuere.

Habet Auicennas in Nono suæ Methaphysicæ cap.7. (referente Scoto in Quarto Sent. Dist. 1. Quæst. 1.) ꝙ a causa omninò una non est immediatè effectus nisi unus: Maxima nanq; esset intelligentiarum imperfectio; nisi una ab alia produceretur:

Hinc Quarto capite eiusdem libri ponit Auream Intelligẽtiarum Cathenam; ꝙ Tertia Intelligentia est producta à Secunda; Tertia producit Quartam; & sic de aliis: Hæc productio erit nè ex suppositione materiæ, & subiecti? Minimè: Immateriales.n. sunt; ideò ex nihilo; datur itaq; creatio.

Est mens Algazelis Disp. 1. ubi scribit; ꝙ cum possibilitas sit potentia quædã; & Deus Benedictus est sicut essentia totalitèr actualissima, & simplicissima; ideò non debet denominari de possibilitate; & hinc dicimus; ꝙ Productio Mundi in Deo non est mutatio, neq; exitus de potentia ad actum; Imò modus quidam, qui a nobis ignoratur: & ꝓpter hoc dicimus; ꝙ inter opera Diuina, & Naturalia non est comparatio: Hæc ipsæ.

Plato Thimæi secundo dicit; ubi & Platonici dixere; Formas dari a secundis Diis dicentes: Deum Deorum huius generis uniuersi sementem faciam; uobisq; tradam; uos cætera exequi pars est; ità immortalẽ, Cælestemq; Naturam mortali textu extrinsecùs ambiatis; iubeatisq; nasci, cibumq; ꝓuideatis, & incrementa detis: Vndè Comẽtator 12. Meth. com. 44. exponens uerba Platonis inquit: Hoc autem, quod Plato dixit in suis uerbis obscuris; ꝙ creator crea-

uit Angelos manu; Deinde præcepit eis curare alia mortalia, & remansit ipse in quiete sine labore: Et forte existimare hoc in Deo, fuit in causa, ut sabbatum poneretur in lege filiorum Israel: Hæc Auerroes.

Proculus his uerbis idem affirmat: Intellectus Patris emanans perfecto consilio Ideas omniformes Intelligit, quæ quidem sub uno fonte omnes prodierunt.

Mercurius quoq; Trimegistus inquit; Mũdum diuina uoluntate constare; qua cuncti committuntur effectus.

Et Orphæus de Summo Ioue sic alloquitur: Cum abscondisset omnia, deinceps in lumen gratum emisit ex sacro corde, operans cogitata, & mirabilia: In his uerbis apertè declarat; Mundum à uoluntate Diuina initium temporis habuisse.

Auerroes contra Auicennã 12. Meth. 44. ĩquit; Dicamus ergo; q nulla Forma est quasi finis, & communis, & uniuersalis; quæ habet actionem communem; & hæc est dispositio Formæ mouentis Primum Cælum motu diurno: Dispositio enim in iuuamento corporum Cælestium adinuicem increando entia, quæ sunt hic, & conseruando ea, est sicut dispositio &c. Item Destr. Destr. Disp. x. ait; oportet ergo, q Mundus habeat effica-

cissimum efficiens, a quo entia cuncta mini strantur. De Mente Auerrois argumentor hunc in modum. Intelligentia Secunda est causata; ergo creata: Consequentia est manifesta; quia cum sit ex se simplex, & indiuisibilis; nèc materia, nèc pars ulla materiæ præcessit: Antecedens patet 12 Meth. 44. ubi habet, ꝙ in Intelligentiis non est prouẽtus, neq; actio; ita ꝙ una actio consequatur tantum; est enim illic causa, & causatum.

De sententia autem Aristotelis facio sic: Secunda Intelligentia habet causam finalẽ; ergo causam Efficientem. Antecedens est ipsius mèt in 12 Meth. 51. Quia Prima Intelligentia est causa in ratione formæ efficientis, & finalis: Consequentia patet; quia causalitas causæ finalis est mouere efficiens ad agere: si igitur Intelligentia Secunda habet finem, ergo efficiens: si enim non esset finis mouens, non esset efficiens motum; & si erit finis mouens, erit efficiens motum. Amplius 12. Diui. 44. Arist. ponit ordinem essẽtialem in Intelligentiis: & erat necessariò ponendus, quia sunt alterius, & alterius speciei (Quòd igitùr substantiæ sunt, & harum quænam Prima, quæuè Secunda secundum eum ordinem, quem & lationes Syderum habent; patet) In his enim quæ specie distin

guuntur est ordo essentialis, ut scribitur 8. Meth.contex.x.tunc formo rationem.

Secunda Intelligentia essentialitèr depẽdet à Prima;ergo est causata ab ea. Consequentiam subtilissimè Probat Scotus, 21. Quæs.Quolibetali;quia essentialitèr dependere est unum habere esse ab alio:Antecedens est manifestum(ut notat Auer.in commento)Non est illic prouentus, neq; actio, sed causa,& causatum: Hoc affirmat Arist. 2.Meth.4.cp Principia sempiternorum sunt causæ eorum,& secundum entitatem, & secundum ueritatem: Quarè ad Aristotelis, & Auerrois mentem potest creatio tueri.

Præterea, facio ego hunc discursum: si in Vniuerso hoc,sunt Quædam entia, quæ Generationi,& Corruptioni subiacent; ut hæc Inferiora:quædam quæ à generatione, & corruptione sunt remota; ut entia suprema: Qua de causa non dari debent entia Media;quæ fine finæ principium habeant? Ad perfectionem itaq;Vniuersi necessariò debent dari Abstracta fine carentia; à Prima causa dependentia; Sed non possunt Abstracta nisi produci, & creari; igitùr Productio;& Creatio est naturalis.

Ad rem nostram redeuntes; affirmo responsionem illam esse optimam.

Nec ualet secunda illatio; ꝙ Aristotelis institutum sit de entibus permanentibus, & semper existentibus; quia de incorruptibilibus; De non semper existentibus; quando dicit, de corruptibilibus: Modo si Intellectus incipit, ergo non semper fuit. Dictum est; ꝙ Intellectus non incipit secundum eẽ, sed secundum informare; & non sequitur inde, ergo generabilis, & corruptibilis; quoniam Generatio, & Corruptio sequitur essentiam, & Naturam rei, semper enim Intellectus suapte natura existit. Hæc de prima ratione.

Secũda eius ratio unum supponit; quod habet Aristoteles primo de Partibus Animalium cap. 1. ubi quærit. Vtrũ Anima cõsideretur à Naturali Phylosopho? & tanq̃ notum accipit; Formam Animalium sub Physici consideratione cadere: Addit Aris. si hoc est Anima. i. si Forma Animalium est Anima; uel partes eius, debet à naturali inquiri; Vlterius determinando dicit; ꝙ Intellectus non est naturalis considerationis: ex hoc colligit, & format hanc rationem.

Illa Anima debet à Naturali considerari, quæ est Forma, & esse Animalium.

Intellectus ex Arist. non debet à naturali considerari, ergo Intellectus non est For-

ma Animalium. Tota ratio desumitur ab Aristotele, ibi.

Si rectè ratio hæc perpendatur, falso innititur fundamento; Nam Aristotelis institutũ eo in loco, (ut Commentator Cõmẽtatur, in Commentario) est assignare proprias, & peculiares regulas illius Artis, & Scientiæ; quæ de Naturis, & Formis Animalium pertractat: Hoc est; ꝙ scientia illa habeat considerare propriam Naturam, & quidditatẽ formarum naturalium: Innuit hoc idẽ Arist. in tex. quando dicit; Formam enim potius, q̃ materiam eius declarare tẽtaremus; ut Æs, aut lignum; & totius eius speciem. i. Formam non ammitteremus (Et paulò inferiùs confirmat; Nam ob eam etiam rem, qui de Natura agit, eò amplius docere de Anima, q̃ de materia debet) Itaq; Naturalis habet considerare Formam materiam insequentem, secundum omnem cõsiderationem, & omnes causas: Tunc enim arbitramur nos perfectè cognoscere carnem; quando quid sit eius natura cognouerimus; ex quo sit generata; quomodo generetur; & cuius gratia Animalibus insit; ut etiam Arist. in Analiticis Posteriorib. libro Primo cap. 2. & Primo Phys. tex. i. docet: Iam uerò, cùm Intellectus non sit Animalis Forma, sed Ho

minis;ideò ſequitur phyloſophus. Non de omni Anima.i.nõ de Intellectu pertractat Naturalis iſtæ:Vel cum non poſſit Naturalis cognoſcere Quidditatem,Naturam, Eſſentiam,& Animæ exiſtentiam:hinc dicit; ꝙ Naturalis non conſiderat de Intellectu: Sed non negat Ariſtoteles ſimplicitèr (ut gat ipſæ)ꝙ Intellectus nullo modo ſit naturalis conſiderationis; quia tunc ſibi, & doctrinæ ſuæ aduerſaretur:Nam primo de Anima à tex. 12. infra, Phyſicus loquitur de Intellectu,& operationibus eiùs. Ampliùs in ſecundo,& in tertio de Anima multos conficit de Intellectu demõſtrationes.Præterea Auerroes in magnis digresſionibus definit.Intellectum,ut ad Naturalem pertinet;imò ni Naturalis Intellectum conſideraret,tota Animaſtica facultas periret:Verum eſt tamen, ꝙ Intellectus,(ut ſeparatus, & Abſtractus,in ſe,& ſine relatione)non eſt Phyſicæ contemplationis:Huiuſmodi Intellectus,ſub hac conſideratione habitus, nec Homini Asſiſtit;nèc idipſum informat:Vndè Abſolutè loquendo falſa eſt Minor.

O,Ariſtoteles ĩquit, quòd Intellectus nõ eſt naturalis,conſiderationis;ſed munus Primi Phyloſophi.

Perpendamus nos tres illas Ariſtotelis

Rationes loco ab Arguente citato;& uidebimus Aristotelem,haud simplicitèr negare, & absolutè, eum non esse Physicum,& Naturalem.

Prima Aristotelis ratio est. Si naturalis consideraret Intellectum; præter Naturalẽ nulla relinqueretur scientia; quia considerans Intellectum habet considerare omnia Intelligibilia: Paritèr dicam ego Aristoteli; si Metaphysicus consideraret Intellectum; præter Metaphysicam non esset alia scientia. Ideò alitèr contemplatur Intellectum Metaphysicus; & alitèr Naturalis;Metaphysicus modo metaphysico; in se; & ut Abstractus; Naturalis modo suo; ut materiæ coniunctus est; ut ad corpus habet relationem.

Secunda ratio est. Naturalis considerat Naturam; Intellectus non est Natura; concedo (ut Abstractus est) ut autem in corpore gerit uicem Naturæ; & Natura è, & naturalis.

Tertia ratio est.Abstractum non consideratur à Naturali;IntellectusAbstractus est; igitùr Naturalis nequaquàm est.Eccè quòd ex hac tertia ratione Aristoteles manifestat; quomodo Intellectus non consideretur à Naturali; sed non negat simpliciter;

quoniam intellectus (ut Forma Hominis; & ut eius materiæ est coniunctus) Naturalis est; & de hoc Intellectu est præsens nostra inquisitio: Hac stante declaratione Argumentum contra ipsum tetorqueo.

Illa Anima quæ à Naturali consideratur est forma Hominis.

Sed Intellectus; ut est in homine, à Naturali consideratur, ergo Intellectus est forma Hominis.

Modo respondeo ad materiam argumenti; & nullam aliam afferam responsionem: nisi quam lucidissimi Præceptores mei hac tẽpestate Præstantissimi Philosophi D. Franciscus Piccolomineus affert, et Archangelus Mercenarius in Dilucidationib. suis scribit, ꝙ Intellectus bifariã cõsiderari potest: uno modo, ut Intellectus est, Altero modo ut Anima, seu pars Animæ est: Diferunt enim ad inuicem; quoniam Intellectus (ut sic) substantia est, & quid absolutum; nec ullam includit ad corpus relationem; ut anima uerò respectum, & habitudinem notat. Tunc formalitèr ad rationem; quòd Intellectus, ut Intellectus est, & secundum suam quidditatem minimè à Phylosopho Naturali consideratur; & id probat ratio Aristotelis, & sua: Nàm si intellectus hoc modo à Natu-

rali consideraretur; tunc præter ipsam nulla esset phylosophia; Ratio huius asſignatur ab Aristotele loco superius allegato; quoniam relatiua ad eandem ſpectant ſciẽtiam; ſi Naturalis Intellectum (ut ſic) conſideraret; tunc omnia intelligibilia ut intelligibilia ſpecularetur; & ſic nullum remaneret intelligibile ab alio conſiderandum. At intellectus, ut Anima eſt, & corpori coniunctus, à Naturali conſideratur; ſub naturali enim conſiderandi modo comprehẽditur; modus eius autem, eſt rem in materia conſiderare: Et in hunc ſenſum Ariſtoteles Intellectum à naturali conſideratione non ſeiungit. Ratio igitur æquiuoca eſt; et à re aliena.

Tertia eius Ratio rem ſuam, & robur ſumit ab eo; quod ſcribit Ariſt. ſecundo de Anima contex. 7. ſi quid commune eſt omni Animæ; utiq; erit Actus primus corporis: Dicit; ſi quid commune; quoniam cognouit Actum non eodem modo uerificari de Intellectu; & de cæteris partibus: Item cum contex. xi. dixiſſet, ꝙ Anima non ſeparatur à corpore (addit) Non prohibere quaſdam ſeparari; quia nullius corporis actus. Accedit, eodem contex. adiungit. Adhuc non manifeſtum eſt; utrum Anima di

câtur actus, ut Nauta Nauis; ex his Format rationem hunc in modum.

Illæ actus, qui è separabilis à corpore; ità est Actus, sicut Nauta Nauis.

Intellectus è separabilis à corpore, ergo est Actus sicut Nauta Nauis.

Si ritè Ratio hæc consideretur; utiq; apparebit, q aliud seminat, & aliud colligit; seminat pro alio frumentum; & colligit pro se paleam: Nam quando dicit; quòd Aristoteles sic ait; si aliquit erit commune erit actus Primus; ly Actus Primus non eodem modo uerificatur de Intellectu, & cæteris. Hoc minimè somniauit Aristoteles; imò euigilans asserit oppositum: Quoniam huiusmodi deffinitio est communissima: et cuilibet Animæ competit; ut ipsæ testatur primo de Anima primo, Modo deffinitio siuè sit cõmunis, siuè propria, æqualiter cuilibet sub ea contento conuenire debet (ut docet Aristoteles 6. Topicorum cap. primo, & Auerroes 2. Posteriorum com. Magno 82.) igitùr Actus indeffinitione Animæ positus eodem modo ad omnem Animam referri debet; ut etiam probatum est circa initia superioris sectionis: Alioquin non ueræ deffinitionis nomen, sed imaginationis, & figmenti potius, sortiretur. Præterea dicere ali

quod genus esse commune duobus, & non eodem modò uerificari de ambobus,; quid communitatis habebit nisi nomen? & sic ratio illa esset purè æquiuoca, quod in Naturalibus est error,& infatuitas: Ampliùs si illæ Actus est communis,&nō eodem modo uerificatur de illis, quorum est actus, Aùt hoc est;quia illæ actus æquiuocè se habet; Aut Analogice: Non dicendum Equiuocè,quia Equiuoca non deffiniuntur; Nèc Analogicè; quia apud me, & in uia subtilium; nuda Analogia nondatur; Aut enim Analogum est uniuocum, aut equiuocum: Deffinitio igitùr Animæ uniuocè se habet ad ea,quorum est actus; & per consequens eodem modo.Insuper dato, & non concesso,ꝙ illæ Actus dicatur purè Analogicè;nō propter hoc concludit intentum; ꝙ ly Actus de sensitiuo dicatur,ut dans esse; & de Intellectiuo, & dans operari: Ratio; quoniam Analogia non uariat rationem formalem,& substantiam; licèt ordinem Prioris,& posterioris includat: Analogia enim (ut omnes tàm Thomistæ,quàm Scotistæ,& Auerroistæ cōcedunt) sub eodem stat natura.Concedo itaq; ex his,ꝙ Actus primus dicatur tam de sensitiua, quā de Intellectiua; sed nego;ꝙ non eodem modo essentialiter;

quia Analogia uariaret Naturam, & speciē: Hinc optimè determinant Scotistæ; ꝙ Analogum non est medium inter Æquiuocum, & Vnicum; sed modo sub Vniuoco, & modo sub Æquiuoco latet: Dicant quicquid uelint Thomistæ, & Auerroistæ: Quemadmodum igitur insensitiuo (apud eū) Actus dicit Formam dantem esse; ita & in Intellectiuo: Quarè peccat ratio ista in hoc primo Fundamento.

Peccat etiam & in aliis fundamentis; quoniam ipsæ accipit pro certo, & determinato; quod Aristoteles dubium reliquit, & insolutum: Asserit ipsæ, ꝙ Intellectus est actus, ut Nauta Nauis: Aristoteles inquit; Immanifestum est, si sit actus corporis Anima, sicut Nauta Nauis: ideò non ab re, & gratis dixi; quòd aliud colligit ab eo, quod seminauit; imò Argumentum militat aduersus idipsum, & facio sic.

Illa Forma, quæ est à corpore separabilis, immanifestum est si sit actus, ut Nauta: Sed Intellectus est separabilis à corpore; igitur non est manifestum, ut sit actus sicut Nauta Nauis: At manifestum est; ꝙ sit actus prim⁹, sicut aliæ Animæ; igitùr intellectus est Forma dans esse, uti & aliæ.

Ego materiæ huius Argumenti solutio-

nem, afferrem; si Aristoteles determinate dixisset; Intellectum esse actum corporis, sicut Nauta Nauis; sed dixit; Immanifestè; quod est potiùs ad defensionem, q̃ ad offensionem; ideò supersedeo; donec meliùs formabitur ratio.

Nolo tamèn propositionem illam, quam pro fundamento iecit, subterfugere: Non ꝓhibere quasdam separari; quia nullius corporis Actus. Nè incidam in Scyliam cupiés uitare Carybdim; aduertendum, ꝙ cum dicat Aristoteles in principio tex. ꝙ in Anima sunt quædam partes, quæ separari non possunt; quia corporis actus: & quædam separabiles; quia nullius corporis actus; accipit Actum pro altera parte nempè materialem, & eductum; & non accipit actum generícum, & in communi; ut se extendit ad eductum, & non eductum; quemadmodum fecit in tex. 5. Benè itaq; sine contradictione asserit; ꝙ Intellectus separatur à corpore, quia nullius corporis actus; id est, nō est perfectio ex corpore educta; sicut Vegetatiuū, & Sensitiuum.

Quod hæc sit Germana Aristotels institutio; patet per aliam translationem; quæ sic legitur: sed tamen nihil prohibet, ut hoc sit in quibusdam partibus; quia non sunt p-

fectiones alicuius rei ex corpore:Hoc est;Intellectus non est forma rei ex corpore depēdens;& sic huiusmodi declaratione textus per textum,cessat omninò Ratio.

Quarta eius Ratio fundatur super Authoritatem phylosophi;in x.Ethicorum cap. 7. Vita contemplatiua præstantior est, q̃ Homini conueniat; non enim quatenùs Homo ita uiuit, sed quatenùs Diuinū quid in ipso inest:Tunc ex hoc infert sic.

Homo uiuit uita contemplatiua nō qua Homo;igitùr non per formam : Probatur, quia quod competit alicui secundum Formam,competit ei secundum ꝙ ipsum.

Confirmat rationem per illud,quod seq. tur;Neque oportet, quemadmodum nonulli monent;unumquenq; cum sit Homo humana,& cum sit mortalis mortalia cogitare;sed quatenùs licet immortalem se reddere,omniaq; efficere,ut ex præstātissimo omnium,quæ in ipso est uitam traducat: Denotat hic Aristoteles,ꝙ Forma humana mortalis,sit;dicit ꝙ Homo qua mortalis non debet cogitare mortalia,sed parti Diuinæ assimilari.

Huic rationi facilè adaptari potest respōsio;si cap.7.allegatum diligentissimè intuebitur; In quo Aristoteles, uolens Hominis

fælicitatem declarare,& demonſtrare illam eſſe in perfectisſima eius operatione ſecundum optimam uirtutem optimæ eius Potétiæ in ipſo exiſtentis;inquit in principio; ꝙ cum fælicitas Hominis in optima operatione ſecundum optimam uirtutem perfectioris potentiæ conſiſtat;Videndum eſt,quæ nã eſt iſta optima Potentia? Et dicit;ſiuè ſit Intellectus;ſiuè ſit aliud quippiam,quòd ſanè ſecundum naturam uidetur principatũ obtinere,& præſidere, notionemq; habere de honeſtis,& diuinis rebus;ſiuè diuinũ quodam etiam ipſum ſit;ſiuè ex his, quæ in nobis ſunt diuinisſimum;ſemper huius operatio ſecundum propriam uirtutem perfecta fælicitas eſt)Quæ quidem(ut concludit in fine)eſt præſtantior uita,ꝗ Homini cõueniat; nó enim quatenùs Homo ita uiuet, ſed quatenùs Diuinum quod in ipſo eſt.

Pro huius rei Intelligentia, hoc aduertẽdum duco;ꝙ Homó ſub duplici conſideratione cadere poteſt: Vèl,ut habet appetitũ ſenſitiuum,concupiſcibilem, & Iraſcibilem in dominium Intellectus:Vèl èconuerſo;ut habet Intellectum in dominium ſenſitiui, & aliarum potentiarum:Si ſub prima conſideratione cadat Hominis notio; tunc uilis eſt,mortalis,& corruptibilis: ſi uerò ſub

altero membro;tunc nobilior est;& quoddã in comparatione Diuinum;Immortalis ferè;& incorruptibilis. Ampliùs, Intellectus noster dicitur excellens, & Diuinus quoad duo:Quoad dominium.s.& principatum;& quoad diuinorum cognitionem: Primum; per comparationem ad ea; quæ sunt in Homine infra Intellectum, ut Appetitus sensibilium,& Membra corporea, quibus Intellectus sine resistentia dominatur,& principatu dispotico principatur;& etiam appetitus Concupiscibilis,& Irascibilis,quibus cũ aliqua resistentia præsidet,& principatu politico principatur:Possunt enim uim Rationi inferre,& quaudoq; inferunt. Alterum; per comparationem ad ea, quæ sunt supra eius Naturam;nẽpè ad Diuina;ad quæ duobus modis comparari potest:Aut quantùm ad cognitionem; quatenùs.s. inter Animæ Potentias;solùm Intellectus Diuina cognoscit:Aùt quantùm ad esse; ex eo quia est diuinum quoddam,Non simplicitèr (ut somniat Auerroes)hoc est; quatenùs est sempiternus;Vnus;& omninò à Materia Abstractus:Sed(ut affirmat Aristoteles)est diuinissimnm eorum,quæ in nobis sunt;idest; propter maiorem illam conuenientiam, quam habet cum substantiis separatis:Qua stante

decla-

declaratione facilè est soluere rationem, Homo uiuit uita contemplatiua, non qua Homo; sed quatenùs Diuinum, quod in ipso est; hoc est, ut habet Intellectum; qui ī ipso aliquid diuinitatis est; & ex consequenti Homo (qua Homo) uiuit uita contemplatiua; & sic retorqueo Argumentum.

Homo qua Homo uiuit uita contemplatiua, ergo per Formam Intellectiuam.

Quod hæc responsio sit ad mentem Aristotelis (nil enim melius est; q̃. Aristotelem per Aristotelem interpretari) patet intuenti textum; ubi sub Authoritate allegata, cō cludit his uerbis: Si igitùr Intellectus Diuinum quid est (Ecce ꝙ illud Diuinum quoddam, accipitur pro Intellectu: sequitur, si ad Hominem respiciamus) Ecce distinctio; quā posui de Homine, secundum partem sensitiuam: secundum partem uerò Intellectiuā, in fine textus apparet; ubi habet hæc uerba. Vnicuiq́, est ergo etiam Homini uita, quæ ex Intellectu traducitur; siquidem maximè id Homo est) ex qua conclusione, nòn modò concludo dari Hominem Diuinum secundum partem Intellectiuam; uerum etiam, reflexionem illam; ꝙ, s. Homo (qua Homo) uiuat uita contemplatiua, libentissimè affirmo.

Ad confirmationem respondeo, & dico primò esse contra ipsum; non enim ex hac Authoritate Formam Hominis esse mortalem elicere quisq; potest; imò oppositum: Inquit enim. Vt ex præstantissimo, quod in ipso est. i. ex Anima Intellectiua immortalem uitam traducat. Vel potiùs Aristoteles reprehendit ipsum, sicut & alios loquentes; Hominem cogitasse Humana, & mortalem mortalia; Dicit enim (Neq; uerò oportet quemadmodum nonnulli monent; unumquenq; cum sit Homo humana, & mortalis mortalia cogitare) & sic, & Ratio, & confirmatio pugnant contra ipsum.

Vèl dicendum, ut supra ꝙ Homo est Humanus, & mortalis secundum partem humanam, & mortalem, secundum partem corpoream, & sensitiuam: Est autèm Diuinus, & immortalis ratione nobilioris partis, Intellectiuæ. s. secundum quam ueriùs Homo dicitur Homo.

Quinta eius ratio est: si Anima Intellectiua est Forma dans esse, & Immortalis ergo Homo non generat Hominem; quod est aduersus Arist. secundo phys. tex. 26. ut talis Formetur ratio.

Illa Forma dat esse Homini, quæ ab Homine, & à Sole generatur.

Mens Humana nèc ab Homine, nèc à Sole generatur;ergo immortalis eſt,ergo non eſt Forma dãs eſſe Homini:Si eſſet Forma, Homo non generaret Hominem, quod eſt contra Ariſtotelem ſecundo de Generatione Animalium cap.7.ubi dicit; Marem dico generare Hominem : Modo Homo non educit Intellectum;ideò non producit Formam ſubſtantialem;igitùr nèc Hominem.

Statim obiicit bonæ reſponſioni illius ſubtilis Baccal.dicentis; Propoſitionem illam intelligi diſpoſitiuè;ꝙ.ſ.Homo ad Animæ ſuſceptionem corpus diſponat:

Non ualet(inquit) quoniam Ariſtoteles ibidem dans differentiam inter Marem,& Feminam reſpectù generationis,ait; Feminam tribuere materiam, Marem uerò Formam;eccè dicit;ꝙ dat Formam, & non diſponit materiam.Clariùs aſsignans causã; quarè Femina appetatMarem;quia Femina ex ſeipſa non poteſt producere Formam ſubſtantialem,ideò appetit Marem,ut ipſæ ipſam producat,& non diſponat: Inſuper ſi Homo in generatione diſponat materiã, & non det Formam;Ariſtoteles iret in ſententiam Platonis 7.Meth.28. quem ità redarguit;Homo generat Hominem,& eſt ſufficiens cauſa ad producendam Formã Ho

minis. Præterea ratio Ariſtotelis non concluderet contra Platonem. Homo eſt ſufficiens cauſa generationis Hominis diſponens Materiam, & producens Formam in materia, ergo non dantur Ideæ. Deindè ꝓductio Hominis magis debet referri ad introducentem Formam, q̃ ad diſponentem materiam. Homo diſponit materiam; & Deus introducit Formam ſubſtantialem in Homine; ergo Deus eſt qui generat Hominem; & tunc Homo ab æquiuoco, & non uniuoco, et ſimili in ſpecie, generaretur.

Hæc ratio ſuper ruinoſum fundamentũ fabricata eſt; & primo ſupponit unum falſum in Maiori; ꝙ.ſ. Forma generetur; quod repugnat Ariſtoteli 7. Diu. 26. ubi habet; ꝙ Materia non generatur; nèc Forma; quoniã id quod generatur (ut inquit 12. Metaph. 12) aliquid eſt, & ab aliquo in aliquod trãſmutatur; habet etiam materiam, (ut contex. x. eiuſdem legitur) Vndè concludit; ꝙ ſi Forma generaretur, daretur proceſſus in Infinitum: Repugnat hoc Commentatori in Commentario, ubi habet hæc uerba: Materia non generatur, nèc Forma; ſed compoſitum. Et eodem loco; Agens facit ex alio aliud; non aliud in alio; Facit enim ex materia Formatum; & non in materia Formam:

Tamèn ratio ſupponit in Maiori; ꝙ illud quod generatur à Sole, & ab Homine ſit Forma.

Secundò,ſupponit aliud, quod eſt cõtra ipſum;nempè illam Ariſtotelis propoſitionem;Homo generat Hominem:Dicit Textus Homo generat Hominem ex materia; Dico ego, Homo generat Hominem ſenſibilem.

Tertiò,hæc ratio non ſibi conſtat; nam (ut patet) in Conſequentia prima,dubius eſt de Mentis immortalitate; Ait enim(ſi Intellectus eſt Forma dans eſſe, & immortalis)Quemadmodum de Forma Informante,& ſubſtãtiali eſt anceps;ità & de Immortalitate eſt ambiguus: Nam in propoſitione copulatiua,ſubſequens ad præcedens refertur:Attamen in Prima, Tertia, & Septima Ratione reſolutè aſſerit; ꝙ Intellectus ſit immortalis,ut etiam in prima huius rationis concluſione, concludit:Quapropter reuoco argumentum contra ipſum.

Illa dicitur propria Hominis Forma,quæ ab eo non generatur.

At Intellectus eſt huiuſmodi, igitur eſt Forma propria Hominis.

Dico autèm ad materiam: Homo generat Hominem non ſecundum uniuerſas par

tes;ſed ſecundum portionem generabilem, nēpè ſenſibilem, (ut ipſamet propoſitio ab ipſo ſcripta declarat)Homo generat Hominem ex materia.i.ex ſemine: Sic etiam loquitur 12.Diuinorum xi. ubi uolens probare,quòd omnis generatio fiat ex ente in potentia inquit(Non ex quocunq;, ſed ex altero,& altero)Homo(exempli gratia)fit ex ſemine tāq̃ ex materia;Equus ex ſemine tāq̃e x materia,non ex quocunq; (quia quodlibet non fit ex quolibet) ſed ex ſemine ꝓprio,& determinato ; ut Homo ex ſemine Hominis;Equus ex ſemine equi. Idē aſtruit tex.24.Secundi phyſ.ꝙ Medicina eſt aliquo modo ſanitas,& Ars ædificandi eſt domus; & ſemen hominis eſt homo: Ideò cōcludit; ꝙ Homo ex ſemine generat Hominem , & ſimùl cum Homine aliquod extrinſecum , ut Deus,& Sol.Hoc idem affirmat ipſæ Arguens in ſequenti ratione;dum utitur Argumēto uia materiæ ꝙ Homo generat Hominem , adeò ut affirmare uidetur Hominem ex materia Hominem generare: Quapropter quando dicitur;ꝙ Homo generat Hominem,habet intelligi;ꝙ generet Hominē ſenſibilem,& cum eo ſit Forma ſenſibilis ; quæ(ut inquiunt Noſtri ſubtiliores)eſt Forma corporis , non tamēn generat Hominē

ſecundum partem Intelligibilem; eſt enim Homo iſtæ ingenerabilis. Affirmari quoq; poteſt(ut firmisſimè dixit Baccalaureus illæ)ꝙ Homo(nullo dato incommodo) Hominem generat Intelligibilem;Diſpoſitiuè ſcilicet ; quatenùs ad ultimæ Formæ introductionem(quæ forinſecùs accedit) Materiam,& corpus diſponit.

Nèc ad hoc duæ priores illationes ualent;ꝙ.ſ.Homo det Formam,& Femina materiam;quia dixi,quòd Homo dat , & producit modo productiuo Formam producibilem;nempè Formam corporis, & Hominis ſenſibilis,non quidem Intelligibilis.

Ad Tertiam,quòdAriſtoteles iret in ſententiam Platonis; Dicendum hoc minimè ſequi:Nàm affirmabat Plato , quòd Agens Formã in materia ex ſe introducere haud poterat;ſed opus erat Forma ſeparata,& Idea: Hoc negat Ariſtoteles,& ego; & dicimus,Hominèm ex ſe potentem eſſe Formã materialem in materia introducere;ut Formam corporeitatis in corpore ; & de hac Forma loquitur Ariſtoteles in textu , quòd Homo eſt ſufficiens cauſa,ut faciat Formã: Dicit enim,Tota iam talis Forma in carnibus,& osſibus,quæ indiuiſibilis eſt à corpore . Hanc Formam Hominis dat Homini

Homo (Concedo) sed non Formam ultimã quia non est generabilis, quemadmodum nec generabilis illæ Homo; licet dispositiuè eam causare possit.

Daretur Idea Platonis infert ipse: Negatur consequentia; quia Plato ponebat illam Ideam etiam formarum materialium Datricem; Quam nos ab agente naturali sufficienter dari fatemur.

Ad illud, quod ultimo loco infertur; ergo generatio Hominis esset æquiuoca, quia non à sibi simili in specie, sed à Deo: Dico resolutè; generationem uniuocam, & à sibi simile in specie habitam contingit duobus modis: Vel per introductionem formæ in materia: Vel per dispositionem, & ultimam præparationem materiæ ad formam: si generatio priori modo uenerit consideranda; tunc Agens Naturale, quod educit formam in materia generat sibi simile in specie, ut Homo generat hominem respectu corporis & formæ eius: si uerò alterò modo; Tunc illud Agens, quod disponit, & in ultima præ paratione ad formam extrinsecùs aduenientem præparat materiam; dicitur sibi simile generare, & in specie, & ut sic Homo generat Hominem sibi similem; quia Homo concurrit Actiuè ad introductionem Animæ

rationalis. & ideò non ualet, quod generatio Hominis sit equiuoca; quia in illud quod generari potest, Homo est causa efficiens propinqua; sol,& Deus causæ Vniuersales: In id quod generari non potest, Homo est causa Agens Disponens; & hoc sufficit, ut in Homine generatio uniuoca, & secundum speciem saluari ualeat.

Sexta eius ratio desumitur ex parte materiæ;& est.

Ab ea forma formatur materia, quæ erat in potentia materiæ:

Sed Intellectus non est in potentia materiæ, ergo non est forma materie: Maior sumitur ex Aristotele]12. Metaphy. contex. 18, ibi, Homo generat Hominem; singularis aliquem: Elicitur in Com. quod Agens nō dat multitudinem, sed perfectionem; educendo formam de potentia materiæ.

Hæc ratio, sicut & aliæ non concludit intentum; sed potius contra ipsum reflectitur; Nàm quando dicit Aristoteles, Homo Hominem generat,& singularis singularem; infert (ut docet Comentator in comento) ꝙ generat ex materia; hoc est ex semine: Homo generatur ex Homine; Equs ex equo; ly (ex) dicit causam materialem: Si Homo generat Hominem ex materia; ergo generat

quod generabile eſt, nempè corpus, quod ex ſemine, & corporeitate conſtat, non tamèn generat totum Hominem ſecundum formam ultimam,& ſpecificam.

Quod hæc ſit Ariſtotelis intentio; patet per exemplum poſitum in tex.De Arte medendi : Ait ibi ; ſimiliter & in Artibus,medendi enim ars ratio ſanitatis eſt.Tunc ſic. ſicut ſe habet Ars medendi ad ſanitatem in Homine introducendam; ita Homo ad Hominem:ſed Ars medendi (ut teſtatur Auerroes in Com.) nihil facit in corpore, licèt aliquid in extremitatibus corporis; Hoc eſt non agit in toto corpore, ſed in partibus: Ità Homo non generat totum Hominem ſimpliciter; ſed partem .i.Corpus,loquendo efficientèr ; diſpoſitiuè autem facit totum Hominem; ſicut Ars medendi præparationem agit in toto corpore : Et ſic Agens dat perfectionem,quæ educitur depotentia materiæ;quæ quidē materiæ adequatur: Ex his reflecto argumentum aduerſus ipſum. Illa dicitur forma materiæ, quæ poteſt ipſam informare, & adequatur ſibi :

Sed Intellectus poteſt informare materiam Hominis;& adequatur ſibi dum ideò in eo exiſtat , igitur Intellectus eſt forma Hominis.

Tunc dico ad materiam Argumenti, distinguendo de forma; quod forma est in duplici consideratione: Quædam consideratur ut forma Informãs,&materiæ Inhærẽs, ut est forma materialis, & inseparabilis: Quædam uerò consideratur ut informans solùm,& non inhærens;ut est forma inextensibilis, cuiusmodi est Intellectus, qui in materia Hominis absq; sui diuisione recipitur. Formaliter modò ad rationem.Ab ea forma formatur materia,quæ erat in potentia materiæ.Vera hæc propositio,accipiendo formam sub prima acceptione; & argumentum concludit; sed non habet intentum; quia diuisibiliter recipi Intellectum in materia,non affirmo; si uerò sub secunda acceptione sumatur forma; ut accipienda est.tunc falsa redditur maior:quia datur forma materiæ, quæ non est in potentia materiæ;& hic est Intellectus,ut clarissimè in superioribus probatum est.

Septima eius ratio desumitur ex forma;& supponit duo.Vnum, quod Aristoteles habet in. 1. de Partibus Animalium Cap. 1. quod Intellectus non est Natura, & 2. phys tex. 12. quod illa forma est natura, quæ non est separabilis nisi ratione. Alterum est,quòd forma quæ dat esse rei natura

liter, necessariò debet esse natura. Res .n. naturalis dicitur, ratione propriæ formæ. Tunc facit sic.

Illa forma quæ non est natura, non uerè informat corpus naturale:

Intellectus non est natura, ergo non informat corpus, si enim informaret; tunc partib., & extensionibus subiaceret. Quærit statim; si Intellectus informat; Vel præcedit dimensiones Corporis, uel sequitur: Non præcedit; quia dimensiones priùs erant in actu: si sequitur illas; ergo diuisibilitèr in corpore recipitur.

Mox obiicit subtili respondenti; qui dixit; hoc non sequi; quoniam Intellectus non dependet à materia, nec educitur; sequeretur autèm quando materialitèr esset eductus. Contra; Auerroes 1: Capite de substantia orbis format hanc rationem aduersus Auicennam, asserentem Animam informare cælum; illam tamèn non dependère à materia. Intelligentiæ cæli sunt impartibiles; eò quod dimensiones præcedũt; ità ut primò sint Intelligentiæ, 2. Materia cæli. 3. dimensiones eius; si namq; (inquit) demensiones præcederent: utiq; Intelligentiæ diuisibiliter essent in cælo receptæ; Modo, cum Intellectus sequatur dimensiones;

esset ipsæ diuisibiliter in corpore, si ipsum Informaret; consequens falsitati inhæret;& Antecedens: Hæc est ratio eius.
Hæc ratio, si iudicio ponderetur; peccat in conclusione, & in fundamento: Fundamentũ uoco ruinosum dum ipsæ negat Intellectũ Naturam esse: Nàm teneo ego, ꝙ Intellectus (ut Anima) Natura sit; & Natura de ipso dicatur, sicut de quacunq; Anima, licèt (ut separatus) minimè sub Natura cõtineri possit; de hoc loquitur Arist, loco ab ipso citato.

Quòd uerò Intellectus (ut Anima) sit Natura; ostendo sic; & illud uulgatum mihi assummo fundamentum; quod cui competit deffinitio, eidem, & deffinitum: At Naturæ deffinitio competit Intellectui (ut Anima) igitur Intellectus (ut Anima) Natura est, Assumptum est manifestum; Naturæ deffinitio ea est, ut 2. Phys. 3. scibit Phylosophus, ꝙ est principium mottus, & quietis per se primò in eo inquo est: Modo Anima Intellectiua est principium motus primò & per se in Homine; ut ostendit Aristoteles 3. de Anima contex. 48 (Hec igitur duo Intellectus, & uoluntas motiua sunt secundum locum) Quarè Intellectus Natura est. Amplius utor fundamento suo secundo: &

facio sic. Id natura est per quod aliquoddicitur Naturale: Sed per Intellectum motus, & operatio Hominis est naturalis; Intelligere enim eius ab Intellectu emanat, Natura igitur est. Insuper, unius substantiæ unus substantialitèr considerandi modus: Anima, in se est una substantia, etsi plures habeat potentias; igitur unus substantialiter cõsiderandi modus: Verum Anima secundum partem Vegetatiuam, & sensitiuam est realiter Natura, igitur & secundum partem Intellectiuam; alioquin huiusmodi potentiæ essent ab Anima realitèr distinctæ, Quod non concedo. Intellectus itaq; ut Anima est, sub Naturæ nomine comprehenditur: Ratio igitur sua primo peccat in fundamẽto. Peccat insuper in conclusione, inquit enim (ergo si informat esset extensibilis, & partibilis) Hoc minimè de qualibet forma concedendum; quamuis de illa, quæ oritur ex gremio materiæ, quæ est per subiectum constituta, & quæ materiæ inheræt, admittatur. De illa uerò, quæ informat, & non est educta; nèc per subiectum constituta; nèc subiecto inhæret; non ualet; Informat enim Mens totum corpus, & ad diuisionem eius non diuiditur; ut etiam docet Aristoteles in libris de Anima; quod est tota in toto, &

tota in qualibet parte corporis:si igitur partē post partem includeret,non esset in qualibet parte tota,sed in toto tota, & pars in parte, quod omnibus rectè phylosophanti bus est incōmodū: Ex his facile retorqueo rationem, & ipse telis patitur uulnera suis

Illa forma,quæ est Natura informat corpus naturale,

Huiusmodi est Intellectus, informat igitur corpus naturale.

Modo respondeo ad materiam Argumēti,quòd si consideretur Intellectus, ut substantia Abstracta,& ut in se est; tunc utiq; non est Natura: De hoc loquitur Arist. & concludit ratio:sed est æquiuocatio de Intellectu, non est de hoc præsens nostra disputatio;talis enim Intellectus sic consideratus nullam habet ad corpus relationem. Si uerò Intellectus contempletur ut Anima, ut habet habitudinem,& ad corpus relationem;tùnc utiq; est Natura, & sub hac consideratione ponimus nos Intellectū Hominem informare;Ideò ratio,quæ apud eū apparet demonstratiua; laborat in æquiuoco.

Ad quæsitum. Aut Intellectus præcedit dimensiones,uel sequitur.Dicitur, ꝙ sequitur;ergo diuisibilitèr recipitur in Homine:

Bonum dedit responsum Baccal. quòd sequitur hoc de illa Forma, quæ in materia pinformationem, & inhærentiam recipitur: quæ profectò ad extensionem extenditur, &ad corporis diuisionem diuiditur. De ea Forma autèm, quæ solùm informat, & non inhæret, Nequaquam; & sic est Intellectus: qui recipitur in corpore, & absq; sui diuisione totum implet corpus.

Ad instantiam Auerrois aduersùs Auicennam: Dico Auerroem non intellexisse minusq; informantem Formam nõ eductã; iuxta Aristotelis uiam in sua falsitate persistentem, cognoscere uoluisse: Imaginabatur etenim, solummodo eas in materia reperiri formas; quæ materialitèr in materia recipiuntur, & ex eius potentia educuntur.

Octaua eius ratio sumitur ex fine: Quoniam Formæ ideò dant esse, ut utantur Instrumentis formatis, & re formata pro obeundis operibus: Modò Intellectus non utitur instrumentis pro suo munere obeundo: sed solùm utitur Homine iam formato, igitur ratione finis non informat Intellectus.

Hæc ratio præsupponit duo, quæ mihi non probantur. Primum, quòd Finis Formæ sit operari, quia inquit (utitur instrumentis pro obeundis operibus) Hoc uidetur error,

nam

nam finis Formæ eſt Informare,& dare eſſe primò;& indè per Inſtrumenta operari. ſi enim operatio Finem Formæ daret; tunc ſubſtantia ad perfectionem accidentalitèr tenderet, & accidens ipſa ſubſtantia eſſet ſimplicitèr & nobilius, & perfectius (Finis enim ſemper eſt nobilior his,quæ ſunt ad finem)quod nullus ſanè mentis & in phyloſophia expertus concederet.Alterum quod ſupponit eſt; quòd Intellectus ſine corporeis inſtrumentis ualeat in corpore operari:Id non ab omnibus doctrinam Ariſtotelis profitētibus acceptatur,Imò teneo ègo, quòd intellectus dum eſt in corpore, non poſsit abſq; corporis organo intelligere: Nam certum eſt; ꝙ intellectus non intelligit niſi per ſpeciem intelligibilem actu exiſtentem:Hæc intelligibilis ſpecies,ſeù Phantaſma per ſenſum exteriorem(ut ſcribit Ariſtoteles ſecundo de Anima contex.60. & 61.) fit in actu; Hinc intellectus ad intelligendum inſtrumentis utitur organicis(nihil enim eſt in intellectu, quin priùs fuerit in ſenſu)Et alibi ī De Anima facultate; oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari.Præterea non modo intellectus intelligit uniuerſale, ſed (una cū Doctore meo ſubtili,& Ariſtotele tertio de Anima x.)co

gnoſcit ſingulare: Iam uerò ſingulare ſub iacet ſenſui; ideò intellectus utitur inſtrumentis corporis. Amplius ſi (ut inquit ipſæ) intellectus utitur re formata, nempè Homine; quare non utitur & inſtrumentis eius? Idem eſt uſus totius, & partium: Quid eſt totum niſi partes ſuæ? ſi itaq; utitur re formata, utitur & inſtrumentis eius, licèt nõ determinatis. Vndè ex his reflecto argumentum.

Illa dicitur Forma dans eſſe, quæ utitur re formata, & inſtrumentis eius:

At intellectus pro ſuis operibus utitur Homine & inſtrumentis eius; igitùr intellectus eſt forma eius.

Ad materiam uerò dico; Intellectum uti inſtrumentis corporis pro ſuis operibus obeundis ſtat duobus modis, uel immediatè, uel mediate: Et ſi intellectus immediatè non utatur inſtrumentis corporeis, quia non eſt ſenſus; utitur tamen mediate: Hoc eſt; phantaſmate; Intellectus namq; utitur ſpecie intelligibili: ſpecies intelligibilis non poteſt abſtrahi ſine formatis inſtrumentis; Ideò ſecundario intellectus utitur ipſis: & hoc, ut intellectus ſit forma, ſat eſt.

Nona, & poſtrema eius ratio ſumitur ex complemento uniuerſi, & eſt iſta. Vniuerſũ

(ut dicit Plato) est specierum plenitudo; & Aristoteles, In Vniuerso sunt omnia, quæ faciunt ad eius perfectionem; ideò debent reperiri omnia Formarum genera: Et quoniam dantur Formæ penitùs materiales, & secundum esse, & secundum operari; ut formæ Elementorum, & Mixtorum: Dantur etiam Formæ omninò Abstractæ & quoad esse, & quoad operari; ut Intelligentiæ Cœlorum, quæ nullo pacto pendent ab aliquo existente in opere: Debent quoq; dari Formæ mediæ, quæ quoad esse non pendeant à materia, Sed ad operari; ut intellectus; qui substantialiter nō pēdet à materia, quoniā Abstractus: Sed quantum ad intellectionē, sic; quia pendet ab Imaginatiua: Vnde intellectus est solum forma operans, & non informans.

Est reiicienda ratio ista; quoniam & in materia, & in forma peccatum facit: Respectu formæ facit duo contra ipsum: Primùm quod facit est, ꝙ reducit idipsum ad contradictionem; nam in superiori ratione dixit, ꝙ Intellectus ꝓ obeundis operibus nō utitur instrumento determinato, sed utitur Homine iam formato: & hic affirmat, ꝙ Intellectus in operari pēdet ab Imaginatiua, quæ est uirtus materialis, & in corpore.

Aliud contra ipsum est, quòd ex seminatis non benè colligit; debebat .n. inferre sic. Dantur (pro perfectione Vniuersi) Formæ omninò materiales,& secundum esse, & secundum operari; Dantur Formæ omninò immateriales,& secundum esse, & secundum operari; igitùr debent dari formæ Mediæ partim materiæ coniunctæ secundũ esse,& secundum operari,& partim abstractæ secundùm essentiam,& secundum operationẽ. Istæ dicuntur Formæ mediæ,& nõ quas assignat ipse: Modo Intellectus est forma media; quoniam est materialis,& immaterialis: Dũ est in corpore dicitur forma materialis; eo quia corpus informando uicem eius gerit; ut subtiliter affirmat Beatus Doctor in Summis: Est autem immaterialis simplicitèr,& secundum se considera tus: ideò hoc argumentum uertitur in ipsũ.

Ratione autem materiæ adhuc argumẽtatio non concludit; quia non habet materiam sibi dispositam,& præparatam: Non enim conceditur in Homine (ut dictum ẽ) dari duas formas; in esse Vnam, & in operari Alteram: Concedo tamen ego; in composito Hominis duas esse substãtiales formas, Vnam in corpore, & mixto; quam Nostri appellant Formam corporeitatis: Et Alte-

ram in Homine; quam opinor, & aſſero eſ ſe Intellectum.

Quapropter Noue Argumẽtationes eius armis propriis contra nos allatis conculcatæ ſunt; ità ut dicere ualeat; Heù patior telis uulnera facta meis. Manifeſtum eſt igitùr (Illuſtrisſime Domine) tùm ex noſtris Argumentationibus; tùm ex rationum ſolationibus; Vltimam Hominis Formam eſſe Intellectum, & non Cogitatiuam uirtutẽ, (ut Auerroiſtæ imaginantur) Nec Homini aſſiſtere (ut ſuperiores rationes concludere apparebant,) Sed ipſum informare, ut ex Ariſtotelis, & Auerrois Authoritatibus concluſum eſt: Modo autèm hanc meam De Forma Hominis ſpecifica Quæſtiunculam hoc immobili ſigillo obſigno.

Nemini (Cardinalis Amplisſime) Dubiũ eſt, ꝙ Natura ſimplicitèr una, unum in ſe cõtineat conſiderandi modum: Aiioquin non una, ſed multiplex, & equiuoca diceretur: Ab uno enĩ (ut Auer. lib. Deſtr. Deſtr. Diſp. 3. concludit) non prouenit, niſi unum: Et unum de Vno affirmandum, uel negandũ; & non de uno (ut 2. elenchorum cap. xv. ſcriptum eſt) plura, Anima, quæ eſt una natura tres potiores continet in ſe potentias, Vegetatiuam ſcilicet Senſitiuam, & Intellectiuã,

quæ realitèr ipsi Animæ insunt, & substantialitèr eodẽ modo in ipso continẽtur; etsi secundum differentiæ gradum una altera sit perfectior. Ex his facio hunc discursum. Sicut se habet una potentia Animæ ad Animam substantialitèr, ita & alia: Non est maior ratio de una, quam de Altera:

At Vegetatiua, & sensitiua Vegetabile, & sensibile informant; igitur, & Intellectiua substantialitèr Intelligibile informare debet alioquin equiuocè de omnibus diceretur Anima: quod tamèn Arist. negat; qui 2. de Anima. 5. ipsam comuniter describit.

Huic rationi se subscripsit Comentator in lib. Destr. Destr. Disp. 6. Homo est digni or omnibus sensibilibus propter Intellectũ copulatum substantiæ eius. Et sic enodatà est, & à dubitationibus euoluta difficillima hæc Quæstio: longè quidèm secùs, atq; ab aliis factum sit. In qua si ueritatem aperui, & ueris uerbis rem expeditam (ut opinor) feci Deo. O. M. summæ haheantur gratiæ, & tibi Præsuli Amplissimo honor, cuius felicissimis auspiciis tàm uastum pelagus ingressus, portum mea leuissima Cimba attigisse lætus, uidear. Id enim feci non ut alios uerbis mordeam; sed ut ingeniolũ meum ĩ ueritate adipiscenda exerceam; sin minùs

ueritatem non sim uia naturali adeptus;rogo subtiliores,ipsósq; quæso, & appello;ut falsitatem corrigendo suam scribant opinionem;s as q̃ alias dissoluendas in medium afferant dubitationes.FINIS.

HOC PENTELOGIVM Disputandum etiam proponetur Comitiis Prouincialibus in Mag. ac Nobili Terra Pennæ Sancti Ioannis Anno Futuro MDLXXVIII.celebrandis Mense Maii. Die Hora.

Frater Carolus Billeus, Sacræ Theologiæ Doctor, ac in Patauino Gymnasio Metaphisicæ publicus professor Pentelogium istud uidit, atq; in lucem edendum dignum est arbitratus.

Fr. Maximianus Beniamus Inq. uisa supra scripta fide licentiam imprimendi dedit,

Perrus MatthæusC oruinus Vic.